PANNONIUS (Janus) POEMATA (10640 vers)

Le texte proposé ici est celui de l'édition des *POEMATA* de Janus Pannonius parue à Utrecht chez Bartolomeus Wild, en 1784.

II

# ELEGIARUM LIBRI DUO (2954 vers)

## ELEGIARUM LIBER PRIMUS

### ELEGIA I.

NAIADUM ITALICARUM PRINCIPI DIVAE FERONIAE
JANUS PANNONICUS CECINIT IN REDITU EX URBE NONIS JUNIIS. A. MCCCC LVIII.

E1_01 v.1 Sacri fontis ave, mater Feronia, cujus
2 felix Paeonias, Narnia potat aquas.
3 Jam prope litorei tetigit sol brachia cancri,
4 sentit et Icarium, fervida terra, canem.
5 Tolle sitim ; saevis tulerat Langia Pelasgis,
6 quae nostra exurit pectora, tolle sitim.
7 Sic tibi magna parens alimenta aeterna ministret,
8 sic numquam vena pauperiore fluas !
9 En semel, en iterum, quos ferrea fistula fundit,
10 excipiunt latices guttura sicca tuos.
11 O quantus rediit membris vigor ! O mea quanto
12 viscera divinus liberat igne liquor !
13 Nec venter, quamvis repetito murmurat haustu,
14 sudorem subitum nec gravis humor agit.
15 Ergo operae nobis pretium fuit alta labantes
16 ad juga clivoso tramite ferre gradus.
17 Jam libet et pulchram mirari turribus arcem,
18 quae surgit sanctis proxima gurgitibus,
19 audire et strepitum, quem subter valle profunda

spumea sulfurei fluminis unda facit,
ac totos circum lustrare ex ordine montes,
   pura salutiferi, quos fovet aura, poli.
Ante, voluptatem spectacula nulla movebant
   cum premeret torrens ora perusta vapor.
Ocius huc adsit toto grege pinguior haedus,
   mutet et effusus vitrea stagna cruor.
Adsint et liquido Bacchi cum munere flores,
   nec cesset laudes vox resonare pias :
"Salve iterum e Latiis, longe celeberrima, Nymphis,
   hospitis et grati suscipe dona libens !
Tu placidam miseris requiem mortalibus affers,
   corpora morosis febribus aegra levans.
Nec soli debent homines tibi, debet et aether,
   aurea cum pascas roribus astra tuis.
Phryx puer haud alias miscet cum nectare lymphas,
   nec sua Mars alio vulnera fonte lavit.
Debita solventur semper tibi vota quotannis,
   dum mea vitalis spiritus ossa reget.
Nec plus Castalias quam te venerabimur undas,
   Musarum et nobis Numinis instar eris.
Sed tamen in fessas unde haec medicina medullas,
   omnia quae nostis, dicite, quaeso, Deae.
Euander ternis Herilum spoliaverat armis,
   crudeles genitrix invocat orba Deos.
Jupiter est flentem caelo miseratus ab alto,
   corpus et in tenues jussit abire lacus.
Nec voluit rivis esse ex vulgaribus unum,
   sed Superis magno fecit honore parem.
Praecipua hinc levitas, hinc vis contraria morbis,
   hinc clarum tota nomen in Ausonia.

## ELEGIA. II.

### LAUS ANDREAE MANTEGNAE, PICTORIS PATAVINI. A. MCCCC LVIII.

E1_02

Qualem Pellaeo fidum cum rege sodalem
   pinxit Apelleae, gratia mira, manus,
talis cum Jano tabula Galeottus in una,
   spirat inabruptae nodus amicitiae.
Quas, Mantegna, igitur tanto pro munere grates,
   quasve canet laudes, nostra Thalia, tibi ?
Tu facis ut nostri vivant in saecula vultus,
   quamvis amborum corpora terra tegat.
Tu facis, immensus cum nos disterminet orbis,
   alter in alterius possit ut esse sinu.
Nam quantum a veris distant haec ora figuris ?
   Quid, nisi vox istis desit imaginibus ?
Non adeo similes speculi nos lumina reddunt,
   nec certans puro splendida lympha vitro.
Tam bene respondet paribus distantia membris,
   singula tam proprio ducta colore nitent.
Num te Mercurius divina stirpe creavit ?
   Num tibi lac, quamvis virgo, Minerva dedit ?
Nobilis ingenio est, et nobilis arte vetustas,
   ingenio veteres vincis et arte viros.

Edere tu possis spumas ex ore fluentes,
tu Veneris Coae perficere effigiem.
Nec Natura valet quicquam producere rerum,
non valeant digiti quod simulare tui.
Postremo, tam tu picturae gloria prima es,
quam tuus historiae gloria prima Titus.
Ergo operum cultu terras cum impleveris omnes,
sparseris et toto nomen in orbe tuum ;
ilicet, accitus superas transibis ad arces,
qua patet astriferae lactea zona viae ;
scilicet ut vasti pingas pallatia caeli,
stellarum flammis sint variata licet.
Cum caelum ornaris, caelum tibi praemia fiet,
pictorum et, magno sub Jove, Numen eris.
Nec tamen his fratres cedent pietate poetae,
sed tibi post Musas proxima sacra ferent.
Nos duo praesertim ; quorum tua dextera formas
perpetua nosci posteritate facit.
Interea haec gratam testentur carmina mentem,
vilior his Arabi turis acervus erit.

## ELEGIA. III.

### BLASIO MILITANTI IANUS FEBRICITANS. A. MCCCC LVIII.

E1_03

Dum te castra tenent pictis fulgentia signis,
nec trepida raucas excipis aure tubas,
nos, Blasi, aestifera correpti febre jacemus,
desidis et leti triste timemus iter.
Nil igitur prodest quod longe bella geruntur,
si fata in media vivere pace negant.
In Turcos utinam tecum simul arma tulissem,
non foret in tanto nunc mea vita metu.
Hic nec opinanti gelidos tremor occupat artus,
illic quam veniat cernitur ante malum.
Nos pugnam inviti capimus ; nisi tempora suadent,
vos detrectatis conseruisse manum.
Non ulla hic caecos astutia defugit ictus,
illic vitari missa sagitta potest.
Debilis a morbo semper prosternitur aeger,
at miles fuso saepius hoste redit.
Nobis praeterea certamine nulla molesto
lux vacat ; in vestro est multa labore quies.
Luditis in mediae securi sidera noctis,
hostiles vallo nil metuente minas.
Fert clypeus talos, dat pocula cassis, et altum
ebrius ante ignem carmina lixa canit.
Succedit ludo somnus, pallentibus astris,
curantur rapto, corpora fessa, cibo.
Praeda venit ; totus laxatur in otia mensis,
debita nec dives postulat aera cohors.
Dicere nulla queas languentis gaudia, cujus
ipse fugit vini primus ab ore sapor.
Fercula contortis libat male grata labellis,
prandia nec miseris questubus ulla carent.
Decubat excluso commissis sole fenestris,

32 nec sinitur caelo liberiore frui.
33 Membra gemens stratis versat ; si membra vocamus,
34 ossibus haerentem vix sine carne cutem.
35 Pallia nunc poscit, nunc rursus pallia ponit,
36 lumina nec placidus mulcet adacta sopor.
37 Verum sive tua est, seu sors mea durior, oro,
38 nos tibi te nobis reddat ut una dies.
39 Ac reduci sanus large nova musta propinem ;
40 tempora signabit candidus illa lapis.

## ELEGIA. IV.

### DE STELLA AESTIVO MERIDIE VISA, A. MCCCCLIII.

E1_04 v.1 Quodnam hoc tam clara sidus sub luce refulget,
2 nec timet in medio praenituisse die ?
3 Fulva Cleonaei certe per terga leonis,
4 celsius aestivos, sol agit acer, equos.
5 Nec prodire vagas permittens longius umbras,
6 in caput Aethiopum spicula recta jacit.
7 Omnia nunc flagrant, nec caligantia puri
8 adspectum caeli lumina ferre valent.
9 Cetera caeruleam Noctis variantia pallam,
10 praestrictum radiis occuluere jubar,
11 una tamen longe reliquis audacior astris,
12 contempto Phoebi stella nitore micat.
13 Quantus conspicuo rutilans fulgore cometes
14 nuntiat horrenda, bella cruenta, juba.
15 Sed tu (sive Jovem mavis te forte vocari,
16 grata est Idaliae, seu tua flamma, Deae,
17 sive novum caelo modo te Deus addidit ignem
18 ac solis fessae jussit adesse, faci.
19 Felix cui soli fas est haud cedere Phoebo,
20 non tantum noctis quae potes esse decus).
21 Nil dirum, nil triste feras ; sed lumine dextro,
22 pelle procul quicquid fata sinistra parant.
23 Saturni tu frigus iners, tu Martis iniqui
24 ardores, placida corrige temperie.
25 Perfice ne terris noceant Arcturus et Haedus,
26 Arcturus ventis, saevior Haedus aquis.
27 Grandine flaventes ne pulset Scorpius uvas,
28 ne segetes nimio torreat igne canis.
29 Neu miseros turbet nautas nimbosus Orion,
30 Orion clava, nec minus ense ferox.
31 Sed pius insanis defendat Castor ab undis
32 limite quas certo duxerit Ursa rates.
33 Semina centeno reddat cum fenore tellus,
34 unda ferat pisces, aura salubris aves.
35 Per te vexato redeat concordia mundo,
36 Janus et aeterna comprimat arma sera.
37 Esto quidem late populis tu prospera cunctis,
38 sed magis afflictas respice Pannonias.
39 Verte pharetratos Phryxi trans aequora Turcos,
40 quos male nunc Ister submovet amne suo.
41 Fac regem observent proceres, rex ipse, fideli
42 consilio procerum, se regat et patriam.

Omnia sic roseis cedant tibi sidera flammis,
   sic tuus occiduas nesciat ignis aquas.

## ELEGIA. V.

### DE APRO ET CERVO. A. MCCCC LXIII.

E1_05 Quantum Junoni Tegee, Calydonve Dianae,
   dicitur Aetolis progenuisse jugis,
tantum nostra suem fudit pagana juventus,
   vix capiunt vastam stridula plaustra feram.
Haec Meleagreo poterat procumbere ferro,
   haec erat Herculea, bellua digna, manu.
Adspice curvatos alte duo fulmina dentes,
   adspice setosae, spicula densa jubae !
Abrupit quam saepe plagas ! Quam saepe morantes
   turbidus obliquo discidit ore canes !
Non illi solae, praebebant pabula, silvae,
   nec quae de patulis, glans cadit ilicibus,
arva diu miseri flebant populata coloni,
   saevior haec omni grandine pestis erat.
Sed jam securos resonet pastoria cantus
   fistula, respirant pascua, rura, greges.
Nunc etiam timuisse juvat cessante periclo,
   dulce est praeteritos commemorare metus.
Macte animi, dirum, primus qui figere, monstrum
   ausus es ; aeternum carmine nomen habe.
Vos simul agricolae memores, victoris ephebi
   populea meritum, cingite fronde, caput.
Ecce sed ingentem pubes fert altera cervum !
   Silvia, qualis erat, vel , Cyparisse, tuus.
Ardua bis denis adsurgunt cornua ramis,
   suspendenda tuo, Cynthia diva, tholo.
Jam fecunda fovet centesima semina tellus,
   jam posuit totidem, vinea laeta, comas ;
postquam hunc solliciti longe mirantur agrestes,
   ducere cornigerum, per nemora alta, pecus.
Taedia nam longi quoties persenserat aevi,
   noverat anguineo se renovare cibo.
Nec modo veloces captum stravere molossi,
   aut tenuere suam linea texta fugam,
quamvis alta levi superabat retia saltu,
   ocior aligero Bellerophontis equo ;
sed magno e silvis actus clamore sequentum,
   incidit in fragili, stagna adoperta, gelu.
Hic saepe incassum surgenti er saepe cadenti,
   succidit celeres, lubrica testa, pedes.
Sic tandem victus toto dedit altera pago
   gaudia, quae pariter contulit una dies.
Una dies multos olim recolenda per annos,
   quam niveus prisco signet honore lapis.
Hanc vos unanimi, mecum celebrate, sodales,
   dum favet hinc aetas, hinc genialis hiems.
Dilutae Baccho fugiant ante omnia curae,
   ille potest maestos exhilarare Deus.

## ELEGIA. VI.

### THRENOS, DE MORTE BARBARAE MATRIS, A. MCCCC LXIII.

E1_06

Quid querar ? Unde novo quaeram fomenta dolori ?
   Ecce jacet lacrimis mater humanda meis.
Ergo erit ista dies nobis dum vita manebit,
   semper acerba licet, rite colenda tamen.
Sive illam Libyco longe deprensus in aestu,
   sive Lycaonio sidere pressus agam.
Nam quoties agilis sese converterit annus,
   nostra recrudescet tempore plaga suo,
admonitus plangam, pietas renovabit honorem,
   maesta pius tumulo munera reddet honos.
Atra dies, nonas sequeris quae quinta Decembrem,
   accipe non albae, tristia signa, notae.
Turbidior nobis caligine noctis opacae,
   semper eris, puro tu licet igne mices.
Quamquam nunc etiam non laeta luce coruscas,
   sed nigris horres concolor exsequiis.
Aethereos tractus radiis impervia nubes,
   abstulit, et nebulis obsita terra latet.
Talibus obsequiis talis bene convenit aer,
   non sunt funereis, apta serena, rogis.
Nec gravis hoc egit nimbosis flatibus Auster,
   ipsa ultro nostris condolet aura malis.
Tu vero nimium nobis infense December,
   cur toties in me perfida bella moves ?
Nonne semel rapto tibi me laesisse Guarino
   sat foret ? En iterum vulnera nostra novas !
Ultime bis senis rapidi de fratribus anni,
   invidiose viris, invidiose Deis !
Tu damno lucis nocturnas porrigis horas,
   ducis et exiguo tramite solis equos.
Tu pigro informem contristas frigore mundum,
   exuis et campos gramine, fronde nemus.
Mense tuo nec prata greges viridantia tondent,
   nec leve sub foliis garrula cantat avis.
Tu facis ut late populantibus omnia Turcis,
   tecta gelu faciles praebeat unda vias.
Te quondam Genio sacravit vana vetustas,
   at tu debueras manibus esse sacer.
Vana queror demens, nil umquam tempora peccant,
   quae peragit verso mobilis orbe polus.
Vos potius nostri maeroris crimen habetis,
   sidera, fatales volvere nata vices.
Vos penes est vitae pariter cum morte potestas,
   a vobis causas inferiora trahunt.
Quid juvat, o Superi, fixisse nocentia caelo
   astra ? Quid errantes constituisse globos ?
Sponte sua letum mortalibus imminet aegris,
   sponte sua, e fragili corpore vita fugit.
Si laesura homines stellarum signa fuerunt,
   debebat simplex aetheris esse color.
At vos me frustra petitis lenire sodales,
   parcite nunc, forsan postmodo tempus erit.

Non facile est iram dictis mollire recentem,
non bene curantes fert nova plaga manus.
Sed, puto, majus habent vulnus mea pectora, quam quod
vel diuturna queat consolidare dies.
Quodsi cui nostra haec pietas culpanda videtur,
ceu muliebre animi debilioris opus ;
is certe ignorat naturae jura potentis,
ignorat veterum tot pia facta virum.
Marcius ingratam properabat vincere Romam,
victa ad maternas languit ira preces.
Fugerat Hesperium Sertorius exsul in orbem,
plurima sed profugo cura parentis erat.
Sancta humeris Siculi portarunt pondera fratres,
Aetnaeus flammas dum vomit ore gigas.
Nec plus Tyndaridas Sparte, quam praedicat Argos,
trita parentali fortia colla jugo.
Saecula nec solos coluerunt prisca parentes,
quin etiam nutrix tunc veneranda fuit.
Caietam e mediis Phrygius tulit hostibus heros,
illa dedit Latiis nomina litoribus.
Acca in Romuleis meruit solemnia fastis,
ambiguae mulier nomine tecta lupae.
Jupiter altrici donavit sidera caprae,
splendet adhuc liquido nobilis illa polo.
Nec minus hac Hyades gratum testantur Iacchum,
quas vernus nitido Taurus in ore gerit.
Nec vero illorum quisquam neget esse gemendos
interitus, vitae quis mora longa fuit.
Sincerus nullos affectus computat annos,
quicquid ames, numquam consenuisse putes.
Tene ego, post duodena licet quinquennia raptam,
non fletu et lacrimis prosequar alma parens ?
Tu me conceptum genitali in sede tulisti,
exigeret menses, dum vaga luna, decem.
Forsitan et duri rupissent viscera partus,
ni tibi nitenti Juno tulisset opem.
Exin progenitum gestasti mollibus ulnis,
ac tua sunt labris ubera pressa meis.
Tu me complecti, tu me, velut unicus essem,
comere, tu blando sueta fovere sinu.
Longe Livor eat ; geminos me praeter habebas,
sed tamen ambobus carior unus eram.
Omen inest genitis, et habent praesagia matres,
an magis in sera stirpe moratur amor ?
Hinc ubi jam certo fixi vestigia gressu,
desiit et blaesos frangere lingua fonos ;
protinus ingenuas docilem transmittis ad artes,
otia nec pateris ducere lenta domi.
Quicquid lana tibi, quicquid tibi tela lucelli
attulerat, merces erudientis erat.
Imbiberam tenerae vix prima elementa Minervae,
nec mala venturi jam documenta dabam,
cum tuus Ausonias tradit me frater ad oras,
longinquo et Musas quaerere in orbe jubet.
Illius impensa Venetas celebravimus urbes,
dum sol undecies per sua signa redit.
Quod desiderium tanto tibi tempore nostri ?
Quanta inter dubios gaudia saepe metus ?

At postquam patriae me reddidit Itala tellus,
   obtigit et juveni pontificalis honos,
non fuit ulla tuae sedes tam grata senectae,
   quam prope me modicos incoluisse Lares.
Hic modo delicias nobis studiosa parabas,
   nunc trepida nebas linea texta manu.
Donec fila tibi torquere novissima Clotho
   coepit, et extremos annumerare dies.
Convenit audito tristis vicinia casu,
   nec capiunt densas atria lata nurus.
Flebant cognatae, nuper tua cura, puellae,
   clausura et visus, filia maesta, tuos.
Ast ego blanditiis animum solabar anilem,
   tristitiam vultu dissimulante tegens.
Scilicet augeret mea ne tibi cura dolorem,
   anxia neu fieres anxietate mea.
At tu nec tanto genitricem oblita periclo,
   dulce tibi aiebas, me superante, mori.
Quaerebant nostros jam caligantia vultus
   lumina, nec nomen deerat in ore meum.
Cum subito in vacuas discedens spiritus auras
   destituit tepido frigida membra toro.
Mater, io, cur me rerum inter prospera linquis ?
   Hoc tibi vivendum tempore, mater, erat.
Cum me florentem, cum me spectare beatum,
   cum poteras omni commoditate frui.
Pupillae et certe nondum nupsere sorores,
   turba magisteriis instituenda tuis.
Quarum quis molles nunc imbuet artibus annos ?
   Quis tenerae custos virginitatis erit ?
Accipe cara parens nostri monumenta doloris,
   non ampla artifici structa sepulcra manu.
Nec Mausolei pendentis in aere molem,
   nec ruiturarum culmina pyramidum,
psallentum sed rite choros, sed turis odores,
   sed cum flebilibus, verba tremenda, modis.
En feretrum celebri praecedunt agmina pompa,
   pulsata et sacris turribus aera sonant.
Dives ad innumeras offertur cereus aras,
   ac requiem templum concinit omne tibi.
Ipse ego sollemni pullatus veste sacerdos,
   ad tumulum pro te, mystica dona sero.
Quamvis haud dubitem felici sede receptam,
   orbe manent alio praemia si qua pios.
Vixisti innocue, coluisti labe remota,
   officiis homines relligione Deum.
Incolumi sane fueris quam fida marito,
   declarat viduae non repetitus Hymen.
Mansisti caelebs dum vertens saecula Titan,
   jungeret autumnis lustra quaterna tribus.
Ergo apud antiquos olim tibi jure Quirites,
   rara pudicitiae parta corona foret.
Nec mors praeteritis dispar tibi contigit actis,
   fine bono claudi vita probata solet.
Omnibus expletis sacra quae lege jubentur,
   libera terreno carcere ad astra volas.
Sed jam sancta vale genitrix, et civis Olympi,
   cunctantem in terris, voce precante juva.

Mutua nos rursum junget praesentia, cum mox
audiet extremam machina tota tubam.
Interea facili corpus requiescat in urna,
nec gravis incumbens urgeat ossa lapis.

## ELEGIA. VII.

### INVEHITUR IN LUNAM, QUOD INTERLUNIO MATREM AMISERIT. A. MCCCC LXIII.

E1_07 Vos, divini ignes, mundi quibus ima reguntur,
aurea quis magni pingitur aula Jovis,
tam quos legitimus propriis agit orbibus error,
quam quorum caelo lumina fixa micant ;
vos, inquam, aeternis animati mentibus ignes,
ad quorum motus, stamina fata trahunt ;
erravi, fateor, confessae ignoscite culpae,
contingat vobis sic aliquando quies ;
uni debueram, cunctis convicia feci,
omnes damnavi cum foret una nocens.
Privatum quod crimen erat, commune putabam,
non bene mens verum, caeca dolore videt.
At nunc deprensus numeris innotuit auctor,
causa fuit cladis, Cynthia sola, meae.
Quo pudibunda fugis ? Quid te post nubila celas ?
Plus prodit timidos vana latebra reos.
Tu certe, obscurae tu fax, Latonia, noctis,
sumsisti radios, in mea damna, novos.
Nam tua, germani dum proximat orbita, flammis,
paulatim morbo, tabuit illa, gravi.
Ac pariter te lux, illam sua vita reliquit,
heu quod deterior sors sua, sorte tua est !
Tu quippe ecce nites reparato splendida cornu,
illius aeterna lumina nocte rigent.
Ergo salutiferum, quisquis te dixerit astrum,
hunc ego convincam vana et inepta loqui.
Summa tuae cum sint virtutis, frigus et humor,
esse salutaris qua ratione potes ?
Frigus et humor agunt, ut vexent corpora morbi,
ut nata intereant, frigus et humor agunt.
Nec dubie toto quod sis vilissima caelo,
possessi series arguit ipsa loci.
Esses ni vilis, non aetheris ima teneres,
conveniens meritis, hic fuit ordo, tuis.
Quod fluidis nempe est elementis infima tellus,
hoc te sidereis novimus esse plagis.
Unde etiam reliqui modulantur acutius orbes,
implacidum nimia, tu gravitate, sonas.
Quisquis et in terras aliis descendit ab astris,
pestifer influxus, per tua regna fluit.
Est et in hoc aliquid, quod munere sola refulges
alterius, proprium cetera lumen habent.
Inde fit ut nullo tua lux fervore calescat,
ceu cum de speculo flamma remissa redit.
Adjice quod simili splendent alia omnia vultu,
nec tenor est umquam, forma nec una, tibi.

Nam modo sera venis, totis modo noctibus ardes,
nonnumquam medio curris opaca die.
Nunc admota polo, nunc montibus addita serpis,
ardua nunc Boreae, nunc petis ima Noti.
Saepe hodie major, cras saepe futura videris,
saepe repente peris, saepe rotunda nites.
Interdum candes, interdum lurida palles,
est, cum purpureo rubra colore venis.
Quod tamen in medio sordet tibi lividus orbis,
condat polluti pectoris esse notam.
Nec sane indignor, quod deficis ipsa frequenter,
ista tibi semper sors patienda fuit.
Sed cum fraternos intercipis obvia currus,
quis non ingratam, quis putet esse piam ?
Omnia tu varias, et cum vertaris in horas,
exemplo pateris nil stabile esse tuo.
Ad tua mutatur momenta agitabilis aer,
sive furit ventis, sive madet pluviis.
Ad tua mutatur momenta reciproca Tethys,
sive tumet, refugas sive resorbet aquas.
Quod discrimen habent in agendis tempora rebus,
hoc etiam pendet de levitate tua.
Nec nisi te quinta nasci potuere Gigantes,
natalem hunc Furiae, tristis et Orcus habent.
Omnia tu vitias, per te resoluta putrescunt,
viscera sub dio si qua perempta jacent.
Tu sata per campos sterili rubigine aduris,
materies vitio fit cariosa tuo.
Decubuit lassus si te lucente viator,
surgenti torpor roscida membra ligat.
Te paritura vocat ventri matrona levando,
saepe tamen, foetu commoriente, perit.
Saepe moves subitos, conserto Marte, tumultus,
femina fis quamvis, proelia saepe moves.
Crimine saepe tuo corruptus inhorruit aer,
corripuit populos publica saepe lues.
Hinc et letiferas equidem tibi jure sagittas,
crediderim priscos attribuisse patres.
His quondam innocuae Niobes cecidere puellae,
dilecta et summo Laodamia Jovi.
Sed longe est ipso, gravior dementia, leto,
cum torquet miseros, te stimulante, furor.
Nam nec philtra magis, nec pocula mixta veneno,
quam tua vis mentes exagitare solet.
Quid facit insano pejus Bellona flagello ?
Aut serpentinis torva Megaera comis ?
Verum cum semper noceas, plus omnia laedis,
quando lates, nam tunc quod juvat, alter habet.
Tunc magis Euripi fervent refluentibus undis,
tunc tempestates turbida flabra cient.
Nec caput est cerebro, nec plenae sanguine venae,
fluctibus et mediis ostrea sema natant.
Ipsa arent teneris exhausta arbusta medullis,
nec formica suum segnior urget opus.
Pessima sed nostro generi interlunia semper
sunt tua ; tunc Lachesis ferrea fila metit.
Aut saltem occuleris numquam, quin durius aeger
langueat, et medicus fidat in arte minus.

105 Quid ? Quod diversos perhibent te sumere vultus ?
106 Fallor, an idcirco trina figura tua est ?
107 Nunc Styga Persephone celebras, et foedere certo
108 tempora maternis aequa maritus habet.
109 Nec (vatum ut fingunt mendacia) rapta fuisti,
110 sponte rapi voluit si qua redire negat.
111 Nunc specie Phoebes tacitum metiris Olympum,
112 nec tamen hac etiam sede pudica manes.
113 Nam quis te castam, quis dicat amore carentem ?
114 Cum tibi lentus adhuc dormiat Endymion ?
115 Cum rorem magno generes ex aere ? Cum te
116 junxerit Arcadio candida lana Deo ?
117 Nunc saltus junctis peragras pharetrata Napaeis,
118 nec sinis illaesas montibus ire feras.
119 Perde malas tigres, et saevos perde leones,
120 dum tantum silvis tutus inerret homo.
121 Esto tamen figi meruit violentus Orion,
122 invitam stupro dum maculare parat,
123 Quid miser Actaeon sceleris commisit, ut illum
124 objiceret canibus, forma ferina, suis ?
125 Unum transieram, (sed et illo plura supersunt),
126 nequitiae residet pars ubi magna tuae.
127 Tu magicos cantus et noxia gramina monstras,
128 tu sacra Naturae vertere jura doces.
129 Culpa tua est, quicquid fecit Titania Circe,
130 quicquid et Aeetae filia, culpa tua est.
131 Sed bene quod proprias torqueris saepe per artes,
132 tum, cum carminibus, jacta cruenta, rubes.
133 Nossem utinam quae te deducunt murmura caelo,
134 quas nobis poenas mox scelerata dares ?
135 Jam tuus in terras rueret globus axe revulso,
136 frangeret et versos, biga supina, boves.
137 Nec tibi prodesset, quamvis tuba multa sonaret,
138 vulgus et attonita rumperet aera manu.
139 Quo feror ? Aut quid ago ? Veniam, Dea magna, precamur,
140 offendit numen, si mea lingua, tuum.
141 Parce, ita non umquam tenebrescas obice terrae :
142 non ego, sed saevus protulit ista dolor.
143 Ille domat fortes, ille impia saepe coegit
144 improbus, in sanctos dicere verba Deos.
145 Illo, quid deceat, mens obruta, cernere nescit,
146 illo fit natis saepe noverca parens.

## ELEGIA. VIII.

### MATTHIAS REX HUNGARORUM, ANTONIO CONSTANTIO POETAE ITALO. A. MCCCCLXIIII.

E1_08 v.1 Non levis Aonidum, Constanti, cura sororum,
2 qui nos, qui nostrum tollis ad astra patrem,
3 diffusum Ausonias rumorem scribis in urbes,
4 me pia pro sancta bella movere fide ;
5 Pannonicam mecum pariter descendere pubem,
6 ac procerum coetus regia signa sequi.
7 Vera quidem nostros vulgarat fama paratus,

nec quicquam vani finxerat illa joci.
Hoc siquidem toto castris indulsimus anno,
gessimus et Musis non reticenda tuis.
Nam patrium juxta vires dum cogimus Histrum,
venturum Martis dum meditamur opus ;
ecce protervus Halys, fiducia summa suorum,
Sirmia trajecto pervolat arva Savo.
Nimirum egregia sperans se laude potiri,
ureret ante oculos si mea regna meos.
Jam praedam referebat ovans, jam victor abibat,
per modo transmissas mox fugiturus aquas ;
cum subito nostras praesensit adesse phalanges,
quamvis nox medium densa teneret iter.
Ilicet, instructas agit in certamina turmas,
hinc litui, ast illinc tympana rauca sonant,
infesta adversis, concurrunt agmina telis,
fit fragor, et multo terra cruore madet.
Ter mutata vices Victoria vertit, et hostis
ter pugnam fertur, ter repetisse fugam.
Sed postquam aeratas acies lux clara retexit,
turbatum visu rettulit ille pedem.
Magna cadit campo pars, maxima mergitur amni,
pars fert captiva tristia vincla manu.
Ipse per adversas evadit saucius undas,
mittitur ad proprios praeda recepta Lares.
Non tamen accepta vesanus clade quiescit,
sed stimulat victum bella novare pudor.
Danubium rursus, collecto milite, transit,
rursus et ingenti caede repulsus abit.
Hic ego turpe ratus tantummodo nostra tueri,
nec rerum oblata commoditate frui ;
continuo hostiles transcendo laetus, in agros,
it comes a tergo Luctus, et ante Pavor.
Mysorum spoliantur opes, trux omnia late
Gradivus ferro, Mulciber igne rapit.
Nusquam torvus Halys, nusquam ampla potentia Turci,
nusquam arcu et conto vincere doctus eques.
Postquam nulla datur quaesitae copia pugnae,
vertimus ad patrias, frena retorta, domos.
Sed quoniam pratis etiam nunc herba virebat,
nec fera militiam praepediebat hiems,
fortunam ulterius placuit tentare secundam,
nec tam praesenti tam cito deesse Deo.
Pars fuit Illyrici, quam nunc vocat incola Bosnam,
dura sed argenti munere dives humus.
Non illic virides, spatioso margine, campi,
nec sata qui multo fenore reddat ager ;
sed rigidi montes, sed saxa minantia caelo,
castella et summis imposita alta jugis.
Hanc tunc invicto tutam munimine terram,
quam vix excindi fulmine posse putes,
ceperat ille ferox hac ipsa aestate tyrannus,
principis et miseri dempserat ense caput.
Huc feror, et regni confestim sede potitus,
cetera partitis viribus aggredior.
Arx erat impendens captae modo moenibus urbis,
praesidio et positu non adeunda loci.
Admoveo illius tormenta tonantia muris,

sed tamen obsessos machina nulla movet.
Quid tibi nunc memorem, quam saepe e turribus altis
jactarunt crebras tela imitata nives ?
Quidve loquar quoties ausi prorumpere noctu,
haud parva excubiis damna dedere meis ?
Non illos validi stridens aquilonis hiatus,
nec domat hiberno sidere triste gelu.
Continuus donec labor et penuria lymphae,
infregit tandem pectora dura virum.
Venerat alma dies, peperit qua Virgo salutem,
nuntius optatae deditionis adest.
Ergo agimus laeti geminato gaudia festo,
ac fessis nasci est, altera visa salus.
His demum exactis, patrias remeamus ad oras,
nec dabimus lentae, tempora longa morae.
Nam simul adstrictas Zephyrus regelaverit undas,
fuderit et molli gramina prima solo ;
nostra virens iterum tentoria campus habebit,
forsitan auxilium cetera turba feret.
Ut tamen ipse refers, nemo est sub tegmine caeli,
qui studeat nostris addere rebus opem.
Gallia dormitat, nec curat Iberia Christum,
Anglia gentili seditione ruit.
Improba conventus Germania cogit inanes,
permutat merces Itala terra suas,
nec quemquam praeter Venetos ea cura remordet,
quos jungunt fatis, foedera parta, meis.
Hos dudum audimus moliri nobile bellum,
horum jam multa Nerea classe tegi.
Sed meus a reliquo longe status ordine differt,
nec volo, nec possum, si piger esse velim.
Turcorum nostro nimium gens proxima regno,
securos nobis non sinit ire dies.
Hanc ego perpetuis statui insectarier armis,
mollia proposito sint modo fata meo.
Magnifici sic alta jubent exempla parentis,
sic sacer aeternae relligionis amor.
Talis Romanum Poenus jurarat in hostem,
talis in invisos ultor Atrida Phrygas.
Nec prius absistam coeptis, si vita supersit,
quam pulsus Phryxi trans mare Turcus eat.
Quamquam non solos is perdere nititur Hunnos,
sed Christum immenso quisquis in orbe colit.
Praecipue Hesperiam votis petit omnibus unam,
quam sua si mittat sub juga, cuncta domet.
Nam postquam Eoae possedit moenia Romae,
occiduam pariter subdere fidit atrox.
Hanc ferro, hanc rapidis inhiat subvertere flammis,
fecit ut ante Senon, fecit ut inde Getes.
Quare age magnanimi consurgite quaeso Latini,
neve cadat vestro tempore avitus honos.
Vidit ab occasu sol omnia, vidit ab ortu,
vestrorum quondam sub dicione patrum.
Nec tam ulli debent lapso succurrere mundo,
quam mundi imperium qui tenuere prius.
Nonne pudet, vestrae quod mater Graecia linguae,
Barbarico discit frendere verba sono ?
Quod vestrae, veneranda soror, seu filia, Romae,

jam pridem serva est, quae domina ante fuit ?
Si vos nulla movet priscarum gloria rerum,
proximitas hostis, jure movere potest.
Gallia si dormit, vel Iberia, nil ego miror,
neutra est instanti nempe propinqua malo.
Mene adjuturos ausim sperare Britannos,
quos procul extremus submovet Oceanus ?
Ipsa autem numquam favit Germania nobis,
quin potius votis obstitit illa meis.
Vos et communis, vicinia certa, pericli
mutuus et nobis conciliavit amor.
Nec dubito Italiam praestare vel omnia solam
posse, ubi tot populos, tot liquet esse duces.
Sunt illic acres Genuae discordis alumni,
oppida sunt Tuscis libera multa plagis.
Sunt Veneti, dominos gens aequatura Quirites,
unde volant toto, rostra Liburna, mari.
Est illic, veteris retinet qui frena Tarenti,
est magni Alfonsi regia progenies.
Est pater ille Pius, rerum cui summa potestas,
Pontificum princeps, Urbis et orbis apex.
Est qui te placida, Ferraria, pace gubernat,
est qui te forti, Mantua, Marte regit.
Multi praeterea clari virtute, sed omnes
supra, Sforciades nobile nomen habet.
Sunt et opes Latio, reliquum nec tanta per orbem,
humanum ferme possidet omne genus.
Quocirca unanimes trepidum properemus in hostem,
magna manent terra praemia, magna polo.
Vita polo, quae nos servet sine fine beatos,
at terra innumeris laus cumulata bonis.
Nos patriae tamen, et fidei, non deerimus umquam,
seu magnam, exiguam seu tuleritis opem.

## ELEGIA. IX.

### DE SE AEGROTANTE IN CASTRIS. A. MCCCC LXIIII.

E1_09

Castra sequor vates, non spicula, castra sequentem
terrent, nec celeri barbarus hostis equo,
tristia sed dirae torquent incendia febris,
saevior et serro, pectora flamma premit.
Seu vivis ; sit amara diu tibi vita, Prometheu,
sive jaces ; durus degravet ossa lapis.
Tu generi humano tantorum causa malorum,
abs te feralis gentibus orta lues.
Ante nec insani vexabant corpora morbi,
lurida nec macies nec dolor ullus erat.
Avia tunc nemorum mortalis turba colebat,
inter montanas inviolata feras.
Quippe cibos rami praebebant, pocula rivi,
antra casas, mollem gramina laeta torum.
Nulli tum arcanas radicum noscere vires,
herbarum aut medicas vellere cura comas.
Nec cuiquam studium varios contundere succos,

ulcus et artifici persecuisse manu.
Necdum etiam pressae redolenti merce carinae,
portabant rubri, quod creat ora, maris.
Vita rudis, sed sospes erat, nec tabida pestis,
angustum fati praecipitabat iter.
Sera sed annosae, cum venerat hora, senectae,
solvebat placidus languida membra sopor.
Tu postquam aethera nitidi de lampade solis,
subduxti astuto lumina adempta dolo,
mox letum et leti causas diffudit in orbem,
vindex decepti scilicet ira Jovis.
Jure igitur Scythica vinctus sub rupe sedebas,
qua riget aeterno squalida zona gelu.
Nec quicquam Alcides minus hoc laudabile fecit,
quam quod in ultricem tela tetendit avem.
Verum prisca nimis queror, et communia cunctis,
ista fuit culpae debita poena meae.
O ego ter demens, umbra qui et pace relictis,
tentarim lituos, et fera bella, sequi !
Hic Labor, et pallens Metus, et deformis Egestas,
hic Furor, et vultu Mors violenta truci.
Nec dubito, quin sol, quin aura, et pulvis et imber,
laeserit insuetum, talia ferre, latus.
Quanto erat o melius densave sub ilice fusum,
aut ubi rauca levi murmure lympha sonat,
nunc his, nunc illis mentem oblectare libellis,
pomave curvatis demere ab arboribus.
Dicebant multi : "Quae te vecordia ducit ?
Quo raperis ? Nervos consule, tiro, tuos.
Scyria celatum quam lana decebat Achillen,
Herculis aut validas Lydia pensa manus,
tam femori gladius, capiti tam fulgida cassis,
fraxina tam dextrae convenit hasta tuae."
Ast ego praecludens monitis veracibus aurem,
aptabam suris aerea suta meis.
Nec nisi duratum Lambro thoraca volebam,
nec nisi ferrato ferreus ire fero.
Ergo animis fruor ipse meis, et justa profecto
optatae capio praemia militiae.
Dum loquor, horridulos sensim rigor occupat artus,
sentio tormenti praevia signa mei.
Jam labra plus multo livent, jam mucidus alget
nasus, et incussae concrepuere genae.
Nec minus ima pedum, manuum quam summa gelantur,
acrius et longe quam modo vena salit.
Adjicite, o famuli, tremulis velamina membris,
post licet exigua rejicienda mora.
Quin jam flagranti penitus succendimur aestu,
sulfura ut admotas cum rapuere faces.
Nec late vibrata semel cito flamma residit,
Mulciber ut siccis cum strepit in foliis,
sed manet, et miseras urit sine fine medullas ;
tolle molesta procul pallia, tolle, puer.
Num me flammivoma, quisquam Deus obruit, Aetna ?
Per mea num Phlegethon viscera forte fluit ?
Uror, io, immensum restinguite fluctibus ignem,
da gelidum laticem, si quis amicus ades.
Nunc quicquid volvunt Tagus, et Pactolus et Hermus,

vilius est gutta frigidioris aquae.
Talis in Oetaei Tirynthius aggere busti,
arsit Nessea saucius a tunica.
Crudeles Superi ! merui quo crimine tantum ?
Quidve in me vobis displicuisse potest ?
Si scelera odistis, removete cruenta latronum
agmina, sacrilegos, tollite mille viros.
Me servate, precor, Phoebi pia sacra colentem,
dum saltem in lucem carmina nostra volant.
Plurima sunt nobis, summam poscentia limam,
sunt quae dimidia parte parata manent.
Si vos ingenium, si florida tangeret aetas,
si species, certe vivere dignus eram.
Quamquam haud infitior, patravimus improba quaedam,
improba, non nimium flagitiosa tamen.
Verum quicquid id est, meminisse absistite, si quem
paenitet, hoc ipso desinit esse nocens.
Oramus frustra, nec talibus atra movetur
Atropos, et ventis irrita verba damus.
Agnosco vicina meae confinia vitae,
spiritus et, numero deficiente, fugit.
O caelum ! O colles, et amicti gramine campi !
O vitrei fontes, o virides siluae !
Ergo ego vos dulci, pariter cum luce relinquam,
nec reliquum de me jam, nisi nomen, erit ?
Heu ! Quod nec frater, nec adest soror optima nobis,
quae digitis oculos condat, et ossa legat.
Tu vero multum felix, carissima mater,
cui cadere ante meas contigit exsequias.
Quid nunc ? Quid faceres, seu praesens ista videres,
sive esset subiti nuntia fama mali ?
Huc age ceratas, quam primum afferte tabellas,
quis animi tradam, vota suprema, mei.
At vos defuncto tumulum componite amici,
roscida qua multo gramine vernat humus.
Frondosos inter saltus, et amoena virentis
prata soli, et Dryadum concelebrata choris.
Assidue Zephyri spirent ubi mitibus auris,
semper ubi argutae suave querantur aves.
Quin etiam tacita jaceam ne ignotus in urna,
signari hoc cineres carmine mando meos :
"Hic situs est Janus, patrium qui primus ad Histrum
duxit laurigeras, ex Helicone, Deas.
Hunc saltem titulum, Livor, permitte sepulto,
invidiae non est in monumenta locus."

## ELEGIA. X.

### CONQUESTIO DE AEGROTATIONIBUS SUIS, IN MENSE MARTIO A. MCCCC LXVI.

E1_10

Ergo ego quae nobis fuerint data tempora vitae,
infelix inter tot mala semper agam ?
Semper erit, nostras urat quae flamma medullas ?
Nunquam ego non aeger, numquam ego sospes ero ?
Ut taceam mater pia quae narrare solebat,

aetatis tenerae mille pericla meae ;
reddiderat patriae reducem vix Itala tellus,
damnavi reditus protinus ipse novos.
Nam male profluvio ventris cruciatus amaro,
turbavi attonitae, gaudia paene, domus.
Mox avibus laevis regalia signa sequenti,
funestae tantum non sonuere tubae.
Sic gravis, heu ! miserum flammaverat hemitritaeos,
tantus in accensis ossibus ardor erat.
Saevior en rursus capiti Fortuna minatur,
incolumi tamquam faverit illa diu.
Quippe velut telis costae punguntur acutis,
sputa simul large sanguinolenta fluunt.
Additur his, pulmo quod vix respirat anhelus,
nec tamen interea torrida febris abest.
At sopor almus abest ; nec luce aut nocte quiesco,
sed vigil horrendis vexor imaginibus.
Tristia morosi lucratur taedia morbi,
aeger, cui pressit languida membra quies.
In me nulla truces interpolat hora dolores,
cogor et in gemitus pervigilare meos.
Sic quondam Libyca, fidei servator, in urna
traditur abscisis excubuisse genis.
Qualis erit nobis (si forte erit ulla) senectus,
cum sit in assiduis, prima juventa, malis ?
Tricenis geminos tunc adnumerabimus annos,
cum peraget senas, menstrua luna, vias.
Tollite me potius, nec in hos servate labores,
o si quos tangunt inferiora, Dei !
His ego cum poenis vel Croesi regna recusem,
his ego cum poenis, nec Deus esse velim.
Nam quid me tam dura inter tormenta juvarent,
ambrosiaeve dapes, nectareusve latex ?
Ipsa ministraret nobis licet Herculis uxor,
pennatove Jovi raptus in astra puer.
Vita valetudo est ; jugi qui peste laborat,
non vivit, lenta sed mage morte perit.

## ELEGIA. XI.

### AD SOMNUM. A. MCCCCLXVI.

E1_11

Cimmeria seu valle jaces, seu Noctis opacae,
axe sub occiduo mollia strata premis ;
seu tua, gentili madidum te nectare, Lemnos,
Pasitheae tepido detinet in gremio ;
seu Jovis ad mensas resides conviva superbas,
inter siderei, Numina sancta, poli ;
(Nam quis tam mitem crudelibus inserat umbris,
Orci qua fauces, horrida monstra tenent ?)
Huc ades, o hominum, simul et rex, Somne, Deorum !
Huc ades, et placidus languida membra leva !
Septima jam fulget pulsis aurora tenebris,
pectora ut in duro volvimus aegra toro.
Multum equidem morbus, sed plus insomnia torquet,
ante diem vires obruit illa meas.

Quod modo corpus erat, nunc est cutis ossibus haerens,
nunc tantum larva est, qui modo vultus erat.
Comprimo saepe genas, et lentum invito soporem,
nec tamen in pressas labitur ille genas.
Tantam dira meis monstra obversantur ocellis,
quis nasi ingentes, et Stygiae effigies.
Quales Alcmaeon, quales cernebat Orestes,
quales tu caeso, Romule maeste, Remo.
Immites Superi ! Faciles per litora phocas
sternitis, et gliri, tota cubatur hiems.
Jam pecudum vobis major quam cura virorum,
at genus hoc vestrae semina stirpis habet,
si tamen Endymion triginta dormiit annos,
causa erat ut Lunae gaudia longa forent.
Huc ades, o hominum, simul et rex, Somne, Deorum,
huc ades, et placidus languida membra leva !
Quod fuit humanae totum tentavimus, artis,
inventa est nostri, nulla medela, mali.
Nil rosa, nil violae, nil semina lactucarum,
nil me, cum lolio juvit hyoscyamus.
Frustra aloe, frustra nobis fragravit anethum,
nec gelidis linier profuit unguinibus.
Non habuere suas in me ulla papavera vires,
in me mandragorae non habuere suas.
Ergo ego vel Phariae possim perferre venenum
aspidis, unde tibi mors, Cleopatra, fuit,
blanda nec arguta Siren me voce resolvat,
nec Circe Aeaeis daedala graminibus.
Nec si pollenti tangat mea corpora virga
Mercurius, tactu quo, vigil Arge, jaces,
huc ades, o hominum, simul et rex, Somne, deorum !
Huc ades, et placidus languida membra leva !
Te Lethaea, parens ad flumina, progenuit Nox,
Cyaneos multo sidere picta sinus.
Praebuit et plantis alas, et cornua fronti,
ac ferrugineam texuit ipsa togam.
Addidit et comites totis tibi moribus aptos,
in quibus est segnis torpor et uda Quies,
sunt et mordaces pulsura oblivia curas,
sunt testudineos Otia nacta pedes.
Muta sed in primis tibi adesse silentia jussit,
assidue murmur quae procul omne fugent.
His tu, quicquid agis, semper stipare ministris,
his, quicquid toto vivit in orbe, domas.
Huc ades, o hominum simul et rex, Somne, Deorum !
Huc ades, et placidus languida membra leva !
Serus ab obscuris te suscitat Hesperus antris,
clarus in atra iterum Lucifer antra fugat.
Luce vacas ipsive tibi, dulcive Lyaeo,
facta e nigranti fulcra premens ebeno.
In tenebris volitas, et latum spargis in orbem
lecta soporiferis grana papaveribus.
Quae postquam in terras ceciderunt ; oppida et urbes,
aequoris et fluctus, et nemora alta silent.
Tu potes et patulo luctantes aere ventos,
tu potes et rapidi sistere Solis equos.
Si libeat, stabunt jam fusi nubibus imbres,
haerebunt medio, fulmina torta, polo.

Te quondam custos aurati velleris hydrus,
sensit, et anguineis torva Medusa comis.
Dum tibi victa fovet Tithonum longius Eos,
in Jovis officium, Nox geminavit iter.
Huc ades, o hominum, simul et rex, Somne, Deorum !
Huc ades, et placidus languida membra leva !
Non ego te hostiles jubeo defigere turmas,
caedibus ut subitis castra inimica premam.
Fraude nec audaci magnum sopire Tonantem,
Junonis toties quod meruere preces.
Vel cum decepto Tirynthia vela marito,
egit ab Iliacis litora Coa vadis ;
vel cum cedentes Phrygibus miserata Pelasgos,
callida in Idaeis rupibus accubuit.
Obsequium posco, Divum quod nemo queratur,
quod pater aethereus consulat ipse boni.
Obsequium posco, tutum tibi et utile nobis ;
nam nec servari per tua damna velim.
Quod nisi tu nostros claudas paulisper ocellos,
aeternum claudet mox tua furva Soror.
Huc ades, o hominum simul et rex, Somne, Deorum !
Huc ades, et placidus languida membra leva !
Non ingratus ero ; viridi de caespite surget,
fumatura tuis haud semel ara sacris.
Hic tibi ponetur tenerum jecur anseris albi,
altera cristatus victima gallus erit.
Haec super adjiciam flavi duo cymbia mellis,
ac totidem lactis cymbia mixta mero.
Alme pater rerum, miserae pars optima vitae,
mens simul et corpus, quo recreante, vigent,
index venturi ; superas qui mittis ad oras,
somnia, per geminas, illa vel illa, fores ;
sic tibi parva dies, et sit nox annua semper,
nec desit longae copia desidiae ;
sic sine fine, tuo facilem se praestet amori
inter Acidalias maxima Naiadas ;
huc ades, o hominum simul et rex, Somne, Deorum !
Huc ades, et placidus languida membra leva !

## ELEGIA. XII.

### AD ANIMAM SUAM, A. MCCCCLXVIII.

E1_12 Mens, quae lactiferi niveo de limite circi,
fluxisti has nostri corporis in latebras,
nil querimur de te, tantum probitate refulges,
tam vegeto polles nobilis ingenio.
Nec te, dum porta Cancri egrederere calentis,
Lethaeae nimium proluit humor aquae.
Mystica qua rapidum tangit cratera leonem,
unde levis vestrum linea ducit iter.
Hinc tibi Saturnus rationem, Jupiter actum,
Mars animos, sensum Phoebus habere dedit.
Affectas Erycina pios, Cyllenius artes,
augendi corpus Cynthia vim tribuit.

Cynthia, quae mortis tenet et confinia vitae,
Cynthia sidereo, subdita terra, polo.
Carnea prae caelo, sed si tibi testa placebat,
hac melior certe testa legenda fuit.
Nec me staturae vel formae paenitet hujus,
sat statura modi, forma decoris habet.
Paenitet infirmos teneri quod corporis artus,
molle Promethea texuit arte lutum.
Nam mala temperies discordibus insita membris,
diversis causas dat sine fine malis.
Continua ex udo manat pituita cerebro,
lumina, nescio quo, saepe fluore madent.
Effervent renes, et multo sanguine abundat,
sub stomacho calidum frigidiore jecur.
An te forte ideo gracilis compago juvabat,
ut saperes, tenui carcere clausa magis ?
Sed quid in aegroto sapientia pectore prodest ?
Non ego cum morbo Pittacus esse velim.
Nec molem Atlantis cupio, roburve Milonis,
sim licet exilis, dummodo sospes agam.
Aut igitur commissa diu bene membra foveto,
aut deserta, cito rursus in astra, redi.
Verum ubi millenos purgata peregeris annos,
immemoris fugito pocula tarda lacus.
Tristia ne priscis reddant te oblivia curis,
neu subeas iterum vincla reposta semel.
Quodsi te cogent immitia fata reverti,
quidlibet esto magis quam miserandus homo.
Tu vel apis cultos lege dulcia mella per hortos,
vel leve flumineus concine carmen olor.
Vel silvis pelagove late, memor omnibus horis,
humana e duris corpora nata petris.

## ELEGIA. XIII.

### DE INUNDATIONE. A. MCCCCLXVIII.

E1_13 Tantus ab assiduis quid vult sibi nubibus imber ?
Quid tempestatum copia tanta parat ?
Unde tot humores nebulis ? Tot nubila caelo ?
Quando potens madidi, tam fuit aura Noti ?
Quisve umquam tantum variae bibit Iridis arcus ?
Pontus an arcana scandit in astra via ?
Saepe exhalatos ima de parte vapores,
Smintheos igniferi sustulit acre jubar.
Nec potuit tantum radiis consumere, quantum
traxerat, in tenues sed soluit pluvias.
Non tamen a levibus manant tam grandia causis,
nec de consuetis rara venire solent.
Iste poli furor est, ista est gravis ira Deorum,
aeris et fluxus, sidera summa juvant.
Nunc omnes Hyades, Haedi ambo, totus Orion,
liquitur, et Delphin aequora multa vomit.
Nunc pariter geminas inclinant funditus urnas,
hinc pater Eridanus, Troius inde puer.
Aut certe suprema alti convexa tegentes,

aetheris, in terras praecipitantur aquae ;
ingeminant densi valido sic turbine nimbi,
sic agit abruptum, machina laxa, Jovem.
Infelix deflet non unum rusticus annum ;
nam tritura simul cum satione perit.
Squalentes nuda marcent in vite racemi,
putris et effuso diffluit uva mero.
Deficiunt pecudes, et clausi millia vulgi,
urbibus in plenis, obsidet atra fames.
Dum queror, incubuit gravior metus : en vaga late
excurrunt victis flumina litoribus.
Ac primum valles et plana jacentia complent,
mox etiam campis editiora premunt.
Nec jam de totis nisi summa cacumina silvis
exstant, et rapido gurgite pulsa tremunt.
In tumulos fugere ferae, fugere volucres,
pellit et e tumulis has tamen unda sequax.
Quadrupedum pisces subeunt loca ; volvitur ingens
Pelamys, in lustro dente minantis apri.
Collecta in spirae nodos anguilla recumbit,
auritus jacuit qua modo parte lepus.
Vulpinam cancer foveam petit ; ova natantum
nunc gerit, alituum, qui tulit ante locus.
Ludimus. Innumeros hominum nova fata paventes,
cum grege, cum stabulis, corripit uda lues.
Pagus erat, subito palus est, et mersa profundo,
quaerunt montivagi culmina ruricolae.
Nec res ulla magis miseros, spe perdit inani,
dum mala crementum non habitura putant.
Huic nimium celsae fidenti margine ripae,
subsedit media subruta nocte domus.
Transtulit ille lares sublimis in ardua clivi,
cautus, et "Hoc, inquit, vertice tutus ero."
Parva mora est, et parte omni surgentibus undis,
nec, stet ubi, nec quo progrediatur habet.
Jam Savus et Marisus, jam Dravus et ipse Tibiscus,
inter et Arctoas, maximus Hister, aquas ;
terrarum quamvis longo discrimine distent,
confusis inter se coiere vadis.
Noscere nec possis ubi rus, ubi collis, ubi arbor :
omnia sic facies aequoris una tegit.
Haud secus Emathiam Penei stagna tenebant,
unus cum vertex Ossa et Olympus erat.
Passa sub Ogygio est aliud nec Graecia regno,
Inachiae si quid credimus historiae.
Tale fuit Latium tunc, cum superantibus Umbris,
Ausoniam gemini condidit unda maris.
Nimirum natura suas praepostera leges
vertit, et autumnus veris ademit opus.
Vere tument amnes, et per montana voluti,
lubrica, terribili murmure, saxa rotant.
Jam tepidum extremi cum solvunt aera pisces,
cum zephyro afflatae, dimaduere nives.
At modo successit flavae vindemia messi,
coepit et aequatum, nox superare diem.
Nunc etiam torrens Nilus redit, et pia Memphis
reddit lunato mystica sacra bovi.
Pannoniae in fluvios pluvialia toxica misit

jam refugis Phoebi Scorpius ustus equis.
Quamquam nonsfolis illos reor imbribus auctos,
nec tantum guttas evaluisse leves ;
sed penitus gravidas terrae patuisse cavernas,
cuspide percussas, Ennosigaee, tua.
Quicquid et in venis cava celat abyssus opertis
lympharum, ad superas emicuisse plagas.
Hoc nobis, hoc nempe atri nova cauda cometae
est nuper longa vaticinata juba ;
qualis tunc, Helicen cum et Buran sorbuit aequor,
vicini casus nuntia signa dedit.
Cum Thetis ignotas stupuit sub marmore turres,
dormiit et medio phoca supina foro.
Quid tamen, o Superi ? Nosne haec tantummodo clades,
tot petit e populis quos alit uber humus ?
An totum involvit strages simul unica mundum ?
Imus et illuxit gentibus iste dies ?
Si pereunt omnes, nec nos superesse rogamus,
aequo animo quivis publica fata subit.
Sin soli luimus communia crimina Chuni,
humanum nobis dulce piare genus.
Sed partis non esse malum, docet ipsa mali vis,
tanta mole decet non nisi cuncta rapi.
Nunc et lata natat fuso, Germania, Rheno,
Sarmaticum Tanain nec sua ripa capit.
Proluit et Rhodanus Gallos et Baetis Hiberos,
nec Padus Hesperiis clauditur aggeribus.
Acer et Argolicas supra furit Inachus urbes,
improbe, nec parcis Thracibus, Hebre, tuis.
Nunc Indi sub Gange jacent, sub Tigride Parthi,
sub Cydno Cilices et sub Oronte Syri.
Nec sic est umquam pontem indignatus Araxes,
nec sic Cappadocas turbidus hausit Halys.
Major in invisum nec crevit Xanthus Achillen,
diffudit tantas ante nec Hermus opes.
Sicca prius, nimios incusans Africa soles,
mutata nimias, nunc vice damnat aquas.
Saevit in hanc olidus Cinyps, et Bagrada monstro
nobilis, et Triton, casta Minerva, tuus.
Ac Gir, Divum hospes, cum spreto nectare caeli,
Aethiopum viles appetiere dapes.
Flumina sed levius, pelago cessante, nocerent,
eminet e totis, insula nulla, fretis.
Non pomosa olim Corcyra, nec impia Lemnos,
non indeprensi conscia Creta Jovis.
Non Sardo aut Cyrnos ; nullos restincta profundo,
flammarum eructat Sicelis Aetna globos.
Vasto iterum Rhodos est, iterum sub gurgite Delos,
tristia nec ratibus navita saxa timet ;
non Libycis alte stantes in fluctibus aras,
non vestrum, Syrtes, magna minorve, vadum.
Quin ipse Oceanus, rerum genitalis origo,
qui certa ambitam, lege coercet, humum,
transiliit per tot servatos saecula fines,
nec satis ora sibi quattuor esse putat ;
per quae se possit mediis immittere terris,
sed passim ruptis ingruit obicibus,
non qualis refluo, Cimbros aut Santonas, aestu

territat, ad motus, menstrua luna, tuos,
verum quantus erat, cum sidera celsa petentes,
obruit impulsis montibus anguipedes.
Ille et frondosos saltus jam mersit Eoae
Taprobanes, ipso cum grege dentifero.
Mersit et adversos, tecum Juverna, Britannos,
nec fortunatis temperat a populis.
Illius immensis jam fluctibus astrifer Atlas
tunditur, et collo non bene fulcit onus.
Nec dubito coeptum, Fortuna urgente, tenorem,
quin vivum toto restet in orbe nihil,
sed quicquid tellus, quicquid levis educat aer,
omne vagis fiat praeda natatilibus.
Ullo Carpathius potuit nec tempore vates,
tam nitidum dominis annumerare pecus.
Ergo vetus veterum verax est dogma sophorum :
saepe homines igni, saepe perire salo ;
deleri et toties, toties deleta renasci
omnia, Phoebeae scilicet instar avis ;
quae se morte parit, vitam cui funera reddunt,
natalem cineres, ultima principium.
Nec certum quis scire potest, quotus iste senescat
mundus, adhuc quot erunt, quotve fuere prius.
I nunc, ventosae petitur cui gloria famae,
casurum nullo tempore nomen ama !
Cum tibi sive toga partum, seu Marte cruento,
tangere non valeat saecla secunda, decus !
Nec ventura minus te nescitura sit aetas,
quam Phaethonteas, quae fuit ante faces.
Magne Deum genitor, tantos qui fusus in artus,
vitali, hoc ingens, flamine corpus alis ;
qui propria humanas dignatus imagine mentes,
nostra ad cognatos erigis ora polos ;
nonne semel stabili mundum tu pace ligasti ?
Jam tum, pulchra rudi, cum data forma chao est ?
Frigida ne calidis instarent, humida siccis,
sed par temperies conciliaret opus.
Nunc adeo nil flamma et humus, vereamur ut omnes,
ne fiant unus cuncta elementa latex.
Nonne semel firmo sanxisti foedere pactum,
diluvio haud ultra perdere velle tuos,
dum picturato signaret nubila tractu,
Junoni gratae semita curva Deae ?
Adspice nunc, et quem numquam sententia vertit,
promissis memorem mitibus adde fidem.
Quodsi fatali constrictum lege teneri
Parcarum et tabulis scis superesse trium,
quondam submersas tantum succendere terras
ut possis iterum ; quid vetita arma moves ?
Sin rerum jam finis adest, jace solus ab alto
facta Pyracmonia tela trisulca manu.
Undosam cohibe pestem ; revocetur in antrum
Auster, et expurgent Thracia flabra diem ;
fluctibus et reduces Tritonia concha receptus,
Neptuno gentes jam miserante, canat.
Vota nihil prosunt ; et quae fert omnia secum,
haec eadem nostras fert simul unda, preces.
Ecce magis, dirus, magis ecce ad sidera, pontus,

se levat, et tantum non, juga summa premit.
Jam jam contigui jungentur nubibus amnes,
nec spatium, per quod defluat imber, erit.
Surge age, cara soror, superantem nubila Olympum
scandamus, celeri dum licet ambo fuga.
Vel Parnasiacae potius fastigia Cirrhae,
altior est lymphis omnibus ille locus.
Hic ego post tergum lapides, magnae ossa parentis
jactabo, exstinctos et reparabo viros.
At tu femineam renovabis femina turbam
saxa pari mittens, sed leviora, manu.
Sic ego Deucalion, sic tu Pyrrha altera fies,
sic erimus mundi semina prima novi.

## ELEGIA. XIV.

### DE ARBORE NIMIUM FOECUNDA. A. MCCCCLXVIIII.

E1_14 Illa ego, quae recto caelum modo vertice adibam
arbor, humum pronis verro cacuminibus.
Nec me externa gravant alienae pondera molis,
sed premor infelix, fetibus ipsa meis.
Evertere alias cum saevis fulmina flabris,
fertilitas nobis exitiosa venit.
Mansissem incolumis, si non fecunda fuissem,
nunc jaceo propriis obruta pignoribus.
Nec jam aliud superest, nisi ut atra caesa bipenni,
ingerar igniferis officiosa focis.
Quam nucis est pejor mea sors ; ego laedor ab ipsis
fructibus, ob fructus laeditur illa suos.
Hac mercede fuit genitrix Agamemnonis uxor,
vel quae celatum, misit in arma, virum.
Talia de natis referent si praemia matres,
sacra ubi naturae jura potentis erunt ?
Scilicet haec ratio est, nolint ut gignere nuptae,
ut medio crescens ventre necetur onus.
Dira utinam nostros ussissent frigora flores,
tum, cum prima novo germina vere dedit
aut ubi mox teneris stabam densissima baccis,
ventus abortivas diripuisset opes !
Praeberem vacuas aestum vitantibus umbras,
maximus hinc platanis conciliatur honos.
Vos ego proceri, moneo, pulcherrima trunci
ligna, quibus late brachia longa patent ;
pomiferam cultis laudem ne quaerite in hortis,
sit vobis sterili fronde virere satis.
Poma gravamen habent, et se gestantibus obsunt,
innocui foliis forma decoris adest.
At te qui transis, furcam supponere lapsae
ne pigeat, stratas et relevare comas.
Saepe peregrinae fovit clementia dextrae,
tristia cognata vulnera facta manu.
Ergo aliquod miseris fulcimen subjice ramis,
forte quod hinc carpas, cum remeabis, erit.
Sic leve quod portas sit onus, sic ipse tuorum,

nil umquam possis, de pietate queri !

## ELEGIA. XV.

### TRENOS IN RACACINUM CUBICULARIUM.

E1_15

Currite ; festinet medicus. Quid, inepte, moraris
tonsor ? Equo citius quam pedes ire potes.
Currite ; forsan adhuc dabitur reperire calentem ;
forsan adhuc misero flatus in ore manet.
Omnia nunc ego te, tibi per carissima rerum,
oro, ; Machaonia, si quid in arte vales ;
si decus accendit, si mentem praemia tangunt,
quanta foret nostri, sit tibi cura fui.
Incolumem quod si nobis, Henrice, repones,
tunc mihi tu Paeon, tunc mihi Phoebus eris.
Tunc ego te magni venerabor Numinis instar,
Virbius in lucem, quo revocante, redit.
Fulmina nec metuas ; perhibent nam saepe Cyclopes,
vindictae illius paenituisse Jovem.
Jussa viri properant ; sed quo tamen omine, laeva
in terram e quercu, fusca volavit avis ?
Nimirum vitam notat arbor opima Tonantis,
nam fertur priscos glans aluisse patres.
Functorum locus est tellus ; nigrantia letum
significant ; leto convenit ille color.
Quam timeo auspicium, ne quid ferale minetur !
Ni relevet melior, tristia visa, Deus.
O facinus ! maesti redeunt ! Ne dicite quicquam.
Scimus ! Inest tacitum vultibus indicium.
Occidit infelix ! Non formae profuit illi
gratia, non leves et sine veste genae !
En jacet, ut riguo languens amaranthus in horto,
improba quem verni subruit aura Noti !
Adspice quam roseos nondum sua purpura visus
liquerit ! Et vivus spiret in ore decor !
Hanc faciem feretro Pallas extentus habebat,
talis et ante rogos Parthenopaeus erat.
Quae jam spes hominum ? Quae jam fiducia vitae ?
Quo se momento quis putet esse suum ?
Quam cito bullatae, pluvius tumor interit, undae,
tam postrema cito cuilibet hora venit.
Nos longos nobis, stulti, promittimus annos,
linquendas aliis et cumulamus opes ;
sic, tamquam torvi nusquam sint ostia Ditis,
Nauta nec in Stygia remiget ater aqua.
Sic, tamquam nobis Junonia temperet Hebe,
quod potat sumpta Jupiter ambrosia.
Haec nos credulitas et terris jactat et undis,
haec nostrae sortis nos meminisse vetat.
Ille perosus humum, pelago natat ; aequoris alter
impatiens arvis applicat arva novis.
Hunc levis ambitio tumidum popularibus auris,
ventilat ; in ferrum ferreus ille ruit.
Exsecat hic montes, et culmina nubibus altis

inserit, ad Superos scandere velle putes.
Interea totum, Somni germana per orbem
haud ulli late conspicienda volat,
sternit et incautas nullo discrimine gentes,
nativa immiti vincula falce metens.
Nec viridi specie, viridive aetate movetur,
non fortem ignavo serius illa rapit.
Nirea Thersitae, Paridem sed jungit Achilli,
Troilus et tremulum mittitur ante patrem.
Hic, hic funereos qui nunc effertur ad ignes,
quam modo robustus, quam modo sanus erat !
Non illo duras quisquam insertare palaestras
aptior, aut agili ducere frena manu.
Hoc sibi Tyndarides dederat, Cyllenius illud ;
ambos nam pueri torserat acer amor.
Nunc etiam cum jam supremum tempus agenti,
fatalem legeret Persephonea comam ;
Spartanae functus juvenili munere luctae,
per virides ierat currere laetus agros.
Illic dum laxis per devia fertur habenis,
praecidere truces licia pulla Deae.
Praecidere Deae simul, et simul ille volucris,
colla superlapso candida fregit equo.
Si vos, Caelicolae, rerum status ordo juvabat,
fata super steriles cur statuistis anus ?
Mens secura sui, misereri nescit alius,
quilibet exemplo fit pius ipse suo.
Essent si matres, audirent vota parentum,
affectu proprios respiciente metus.
Nunc illas non turis odor, vittatave placat
victima, non blandae lenia verba precis.
Ultio si pateat, si vos ego vindice possim,
crudeles vetulae, corripuisse manu,
dilaniem canos rugoso a vertice crines,
confringam fusos, stamina, pensa, colum.
Disjiciam tabulas, solido ex adamante, rigentes,
sed magis his ipsis pectora vestra rigent,
lumine quae primo talem fraudastis ephebum,
parsisset Libycis cui lea foeta jugis.
Quem nec pro catulis laesisset Caspia tigris,
nec ferus adversa cuspide fictus aper.
Non vigil Hesperidum serpens, non bellua ponti,
nec quicquid saevum terra fretumve creat.
Dicite, qua culpa meruit tam funus acerbum ?
Cujus erat tanti criminis ille reus ?
Scilicet hic Delphos, Triviaeve incenderat aedem !
Mactaratve boves, Sol venerande , tuas !
Poenigenaeve sacrum mento deraserat aurum !
Dempserat aut summo, pallia fulva, Jovi !
Scilicet hic Veneris violarat vulnere dextram !
Pallada sanguinea surpueratve manu !
Sanctarum aut thalamos tentarat inire Dearum !
Aut arcana Deum garrulus extulerat !
Scilicet hic scopulis involverat Ossan Olympi !
Impius Iapeti miles et Enceladi !
Atqui nec dicto quemquam irritarat amaro,
mitis, et innocua simplicitate bonus.
Sed quid vana queror ? Tu te, furiose, necasti,

dum numquam nostris utere consiliis.
Praecepi quoties, et te quam saepe rogavi,
tam temere indomito ne rapereris equo ?
Exitiale adeo nullum mortalibus aegris
est animal, nullum quod mala plura ferat.
Bella geruntur equis, vacuant quae gentibus orbem,
quae replent Erebum, bella geruntur equis.
Hoc genus effecit, caderet ter ut Ilia tellus,
agmine cum toto Rhesus ut occideret.
Hoc genus Hippolytum, genus hoc Phaethonta peremit
cum terras patriis ussit et astra rotis.
Ipse Chimaereas potuit qui vincere flammas,
Pegaseam fertur non tenuisse jubam.
Quis Diomedei crudelia pabula nescit
armenti, et nullo gramine pingue pecus ?
Potniadum rabiem quis non audivit equarum ?
Constat et unde nocens defluat hippomanes.
Haec ego jactabam ; sed te, tua fata pericli
urgebant causas semper amare tui.
Semper tu phaleras, semper tu lora volebas,
semper erat tergo dulce sedere tibi.
Nec tergo pigrioris equi, sed naribus ignem
qui vomat, et summam vix pede signet humum.
Nec te insuccussi requies tam lenta juvabat
pilenti, et remis molliter acta ratis,
quam fuga cornipedis, quam lata vel ardua vincent
saltus, et in gyros colla reflexa breves.
Respice nunc, tua quid peperit tibi grata voluptas,
quae tibi deliciae lucra tulere tuae.
Nempe quod Elysio volitas in pulvere victor,
Automedon cursus et stupet ipse tuos.
Heu ! miserande puer, quo jam nitetur alumno
vestra domus, cui tu spes modo solus eras ?
Quando mihi similem continget habere ministrum ?
Moribus, ingenio, sedulitate, fide ?
Morte tua totam resonant lamenta per urbem,
muta nee assuetis perstrepit aula jocis.
Morte tua attoniti, senior simul et puer horrent,
ille suis eadem dum timet, ille sibi.
Sed mea praecipua formidine corda tremiscunt,
nulla fuit cui nox te sine, nulla dies.
O quam saepe mihi reducem te somnia fingent !
Somnia, quae fallax irrita mittit ebur.
Saepe expergiscens, nota te voce vocabo,
ceu non aeternus, sit sopor iste tibi.
Quin et nunc flavos, vidi si pone capillos,
protinus a flavo, tu mihi, crine subis.
Alterius validos conspexi forte lacertos ;
illius talis, dico, lacertus erat.
Ante igitur gelidae mea fient ossa favillae,
quam tua de nostro pectore, cura cadat.
Nec tibi, credo equidem, venient oblivia nostri,
non tu si Lethes flumina tota bibas.
Unum est quod verear ; nam dum mihi tempora vitae
spondeo longa tuae ; dum reor esse Deos ;
tardavi demens meritas tibi solvere grates,
nec tribui obsequiis praemia digna tuis.
Forsitan et tetricam, Dictaei ad judicis, urnam,

ingrati magno nos agis ore reos.
Parce age, parce puer ; vivo neglecta rependam
exanimi ; officium sentit et ipse cinis.
Si mihi fas esset, quod Dis licuisse quibusdam
traditur, in facies vertere membra novas ;
non vaga tu volucris fieres, nec turbidus amnis,
non in flagrantes arbor itura focos ;
sed crocus aut smilax mollis, vel amaracus herba,
sed Cephisiades, Oebalidesve fores.
Vel nova odorati prodires gloria veris,
gloria nec violis, nec superanda rosis,
quam produxerunt nondum Zephyritides aurae,
quam nondum carpsit pollice Flora suo.
Nec magis e quoquam strueret sibi germine virgo,
serta puellares implicitura comas.
Mella magis nec apes legerent e floribus ullis,
nec magis ulla mihi dulcia mella forent.
Nunc homini quoniam non est data tanta potestas,
accipe de domini, carmina maesta, lyra.
Carmine adhuc Attis, et carmine vivit Adonis,
carmine Trojades, carmine claret Hylas.
Sume simul lacrimas, fratri paulo ante negatas,
his madeat tua qui contegit ossa lapis.
Tum gemini extremo scribantur margine versus,
haud cuiquam siccis verba legenda genis :
"Hic, Racacine, jaces, vati gratissime Jano,
hic pariter Jani gaudia cuncta jacent !

# ELEGIARUM LIBER SECUNDUS.

## ELEGIA I.

### AD APOLLINEM, CUM E PEDE LABORARET.

E2_01
Ardua sacratae celebras seu moenia Cirrhae,
seu colis excelsae moenia clara Rhodi,
Parrhasium flexo seu lustras Maenalon arcu,
seu Claron aut Lyciae templa sacrata colis ;
seu quondam aequoreis fluitantem Delon in undis,
aurea seu magni tecta Tonantis habes ;
huc ades intonsis, Paean formose, capillis,
huc ades o medicae, Phoebe repertor, opis !
Te coluisse mihi teneris, rogo, prosit ab annis,
atque Sabaea tuis tura dedisse focis.
Scilicet auxilium Juno parientibus affert,
ruricolis dat opem Liber et alma Ceres.
Lanigeras Pan curat oves oviumque magistros,

Persephone magicis artibus ipsa favet.
Pastorem alma Pales, miserum Venus audit amantem,
quique volat toto notus in orbe puer.
Facundos Hermes, bellantia pectora Mavors
respicit, et castos casta Diana juvat.
Pallas versato ducentem stamina fuso,
spectat ab excelsi, culmine Diva, poli.
Quisque suos Divum cultores spectat, et illis
propitio semper numine mitis adest.
Tu quoque, Phoebe pater, lacrimas ne sperne tuorum,
neu sinito vacuas praeteriisse preces.
Praemia digna manent, vinctum tibi cornua vittis
taurum ad turicremos sacrificabo focos.

## ELEGIA. II.

### DE MORTE ANDREOLAE, NICOLAI V. PONT. ROMANI, ET PHILIPPI CARD. BONON. MATRIS.

E2_02

Vos, quibus est humilem concessum degere vitam,
et fragiles inter consenuisse casas,
discite naturam, non incusare, potentem,
cum vobis vitae debita finis adest.
Respicit ad nullos Lachesis communis honores,
nec curam ullius nobilitatis habet.
Parcere nec senibus, nec parcere novit ephebis,
non a formoso continet ore manus.
Nulla fugat virtus indevitabile letum ;
non coacervatas mors reveretur opes.
Nec scit conspicuos gemmata veste tyrannos,
nec regum matres, nec trepidare ducum.
Respicite Andreolam, parvo quae clausa sepulcro,
aequales Parcas omnibus esse docet.
Haec matrona fuit virtutibus inclyta summis,
haec fuit aeterna clara pudicitia.
Haec gravis, haec prudens, haec integritatis amatrix,
haec sanctae cultrix relligionis erat.
Sed licet implerit magnis virtutibus orbem,
plus tamen est natis nobilitata suis.
Nam peperit dextro Nicolaum sidere quintum,
quo Roma et totus praesule mundus ovat.
Et te, purpureo redimite Philippe galero,
praeside quo gaudet Bononiense solum.
Spargite felicem tumulum viridantibus herbis,
spargite sanguineis, ossa beata, rosis.
Quicquid odorifero sudant xylobalsama trunco,
Puniceum rubeis qua tepet aequor aquis,
quicquid plorantes lacrimant de cortice myrrhae,
colligit Eous quicquid odoris Arabs,
hos ungat cineres, hanc defundatur in urnam,
menstruus huic busto concelebretur honos.
Ut colimus sanctas, pompis solennibus umbras,
huic praestet similes quilibet exsequias.
At vos, qui sub humo tumulatos roditis artus,
et facitis partem pulveris exiguam,
parcite ; nec vobis sacras violare medullas,

dentibus infestis suadeat ulla fames.
Molliter inclusum mitis premat urna cadaver,
suspensus metuat membra gravare lapis.
Nemo sacros manes pedibus calcare profanis
audeat ; admisso crimine, facta luet.
Quin aliquis, licet officium properare jubebit,
compescat celerem praetereundo gradum.
Et genibus flexis, gelido ferat oscula saxo,
nec pigeat tales ore dedisse sonos ;
Salve, magna parens, sublimem enixa columnam,
quae grave totius sustinet orbis onus !
Salve, Luna micans, Solem connixa coruscum,
cujus divino lumina cuncta nitent !
Salve clara parens, cujus veneranda propago
jura super terras omnipotentis habet !
Te super haud multum potuit mors juris habere,
non est cum membris fama sepulta tuis ;
sed viget, et mundum celebris perlabitur omnem,
nec , nisi cum mundo deperitura simul.
Est consanguineae fragilis caro reddita terrae,
spiritus unde prius venerat, astra colit.
Sed cur turicremis te non veneramur in aris ?
Cur te relligio non sinit esse Deam ?
Numina placavit peregrinae, Roma, Cybelles,
manibus haec laus est inficianda tuis ?
Cum vel progenie totum quae temperat orbem,
plura, vel officio promereare tuo ?
Gentiles Divos mendax Rhea protulit, et quem
utilius fuerat non peperisse, Jovem.
Editus, alma, tuo summus de ventre sacerdos,
laudibus Oceanum tangit et astra suis.
Jura velint, et sancta fides, donabere templis,
caelestem augebis, Diva novella, chorum.

## ELEGIA III.

### M. GEORGIO ET ANTONIOLO SCIENTAE RUSTICANTIBUS.

E2_03 Illos felices, illos reor esse beatos
ante omnes, qui nunc rus geniale colunt.
Nam ruri nihil est mage dulce ; molestior urbs est,
rure manet Genius semper, ab urbe fugit.
Vos nunc aut canibus, lepores agitatis odoris,
ast ego continue grammasin invigilo.
Aut lentis virides peragratis passibus agros,
ast ego continue grammasin invigilo.
Aut pingues turdos jucunda fallitis arte,
ast ego continue, grammasin invigilo.
Vos jocus et ludus, vos blanda fronte voluptas,
vos requies et pax, vos comitatur amor.
Adsunt conspicuae, formoso corpore, Nymphae,
quae vobis possunt oscula mille dare.
Vos bene potatis, vos pingues manditis escas,
inde premunt mollem corpora vestra torum.
Ambo igitur superum merito scandetis Olympum,
hoc mercedis habet, qui bene semper agit.

Opto nimis, placidi, nunc rus celebrare, scientae,
opto nimis vestra commoditate frui.
O si Pegaseis liquido ferar aethere pennis !
Et nunc ad vestros deferar ipse Lares !
Quis prohibet plures cera me jungere pennas,
et junctas humeris applicuisse meis ?
Hoc tuus, ut memorant, certe pater, Icare, fecit
et cur plus nobis ingeniosus erat ?
Atlantis facunde nepos, sate Pliade pulchra,
aliger aligero qui pede carpis iter ;
oro tuas nobis pennas concede parumper,
ipse scientaeas donec adibo domus.
A te concessis juvenis Danaeius alis,
fertur ad horrendas Gorgonis isse domos.
Aureus inde tuas a me statuetur ad aras,
taurus, et hibernis candidior nivibus.

## ELEGIA IV.

### AD GALEOTTUM NARNIENSEM.

E2_04

Si, Galeotte, meo te collaudavero versu,
det veniam nobis cetera turba, precor.
Quippe licet multos habeam praedives amicos,
vincitur a meritis, cetera turba, tuis.
Et, si versiculos facio non prorsus inertes,
doctrinae fateor munus id esse tuae.
Per te conscendi celsas Heliconis in arces,
Gorgonei fontem pes ubi rupit equi.
Per te Parnasi peragravi rosida Tempe,
tu monitor, tu dux, tuque magister eras.
Accipe nunc carmen, quod nobis ante dedisti,
collati fructum muneris, auctor, habe.
Par est ut carpat de palmite vinitor uvas,
cultori messem reddere debet ager.
Et jam ut propositas exordiar edere laudes,
in primis patriae nobilitate nites.
Nemo adeo est amens, quin Umbros praeferat agros
omnibus Italiae fertilitate locis.
Nec quoque gauderet se hac gente Propertius ortum,
ni studio belli, ni foret apta, togae.
Urbs ibi consurgit praerupti in vertice saxi,
nobiliumque ducum, pontificumque parens.
Cui victrix fortes transcripsit Roma colonos,
Nar fluvius nomen, mons Nituusque dedit.
Haec tibi sat clarae genus haud ignobile stirpis
praebuit, et quantas exigit usus opes.
Quae cum corda fero producat idonea Marti,
bella quibus femper sanguinolenta placent ;
tu potius Phoebi voluisti evadere miles,
haud veritus citharam praeposuisse tubae.
Nam simul ac teneri permisit flosculus aevi,
coepisti Musis invigilare sacris.
Donasti viridem castris tamen inde juventam,
et satis hac etiam parte peritus eras.
Rursus te saevis studium revocavit ab armis,
et tibi Thespiadum signa ferenda dedit.

Nec te militiae miror tentasse laborem,
Herculeo dignum robore corpus habes.
Praecipue fortem scis exercere palaestram,
et superas cunctos strenuitate viros.
Sed non est tantum robusto in corpore laudis,
ingenio quantus semper habetur honos.
Hoc te Bellonae suasit praeferre Minervam,
doctaque posthabito Numina Marte sequi.
Multa pererrasti Latiae vagus oppida terrae,
pectora dans doctis erudienda viris.
Demum Ferrariam felici es sorte profectus,
et Phaethontei, flumina clara, Padi.
Hic erat eloquio praestans undante Guarinus,
Pieridum Latio summus in orbe parens.
Hunc tu per geminos audis cum sedulus annos,
luce cibi parcus, nocte soporis eras.
Ipse ego tunc Italas primum devectus ad urbes
in castris coepi tiro merere suis.
Magnus amicitiae junxit nos protinus usus,
ex illo noster tempore crevit amor.
Idem nos tenuit thalamus, tum mensa duobus
communem semper praebuit una cibum.
Saepius ad mediam noctem vigilavimus ambo,
cum cuperent somnos lumina fessa dari.
Saepius ante diem ternis surreximus horis,
cum foret in tepido dulce cubare toro.
Fidere cui possem, nullum te praeter habebam,
nullum, qui curam vellet habere mei.
Tu pariter fratrisque vicem patruique gerebas,
inque loco matris inque parentis eras.
Quantum sis de me meritus, si dicere vellem,
ora prius nobis mille petenda forent.
Nec me alius docuit, (soleo quod saepe fateri)
apta in legitimos cogere verba pedes.
Nunc quoniam vates inter numerare vetustos,
imbutus monitis glorior esse tuis.
Et merito ; nam te fingendi carminis artem,
callidius, quovis judice, nemo tenet.
Singula tu proprias servare vocabula vires
cogis, et in sedes dirigis apta suas.
Nec nisi delectos curas annectere sensus,
et quos antiqui non posuere patres.
Cum multa historici, cum scribant multa poetae,
illa tamen memori pectore cuncta tenes.
Nosti stagna, lacus, nosti aequora, flumina, montes,
quo populi jaceant, ille vel ille, loco.
Nil, cujus nequeas rationem reddere, profers,
hoc et Maeonides fecit, et ipse Maro.
Utile scis dulci, brevitati jungere lucem,
seu sequeris summum, seu mediocre genus.
Et velut ursa suos narratur lingere partus
consimili versus sedulitate polis.
Ergo fluunt, apteque sonant, quotiesque leguntur,
nescio quid tecti nectaris intus habent.
Haec satis ad numeros. Nunc carmine prorsus omisso,
enitar mores commemorare tuos.
Hi nisi dicantur, simul ac moriere, latebunt.
Illud in arbitrio posteritatis erit.

Non ego divitias parvi te pendere miror,
quas tantum demens vulgus habere cupit.
Sed longe est ipsas majus te spernere laudes,
quae sanctos etiam philosophosque movent.
Nulla libido potest te frangere, nullus honoris
ambitus ; argenti nulla domare sitis.
Comis es ut Caesar, vincis pietate Metellum,
Attiliumque fide, relligione Numam.
Res hominum praesens, animo sic arduus alto
despicis, ut caelo jam videare frui.
Nec tibi terrori est horrendae mortis imago,
maximus in terris, sit licet ille timor.
Qui cum virtutum tanto sis agmine septus,
audeo te cuivis aequiparare Deo.
Quin etiam spes est, aevo te posse futuro,
has animi dotes accumulare tui.
Nunc tibi bis denis successit septimus annis,
cum sis doctus, adhuc doctior esse potes.
Quod facere ut valeas, longaevam ducere vitam,
dent tibi torquentes, ferrea fila, Deae.
Hoc, Galeotte, tuo breve dedico carmen honori,
ingratae mentis ne reus esse ferar.
At vos, lectores, ne fictis credite verbis
me illi blanditias composuisse leves.
Sic vivam Phoebo, sic vivam gratus Iaccho,
ut mea de vivo pectore dicta fluunt !
Assentando quidem nam cur ego vener amorem,
si me plus oculis diligit ipse suis ?

## ELEGIA V. *

(* = pièce adressée à Pannonius)

### TITUS VESPASIANUS STROZZA, AD JANUM PANNONIUM.

E2_05

Arbiter Idaeus, quamvis sua praemia nondum
viderat, et qualis Tyndaris ipsa foret,
dicitur absentis tepuisse cupidine formae,
aequarat victrix quam Cytherea suae.
Ut Menelaeos subiit ratis hospita portus,
obviaque est Phrygiis, facta Lacaena viris ;
acer in extremis Paridi calor ossibus haesit,
atque ipsas, Helene vincere visa, Deas.
Sic ego judiciis hominum, te Jane, probari
accipiens, coepi nomen amare tuum ;
longaque de studiis, quoties oblata facultas,
laetabar tecum ducere colloquia.
Sic veluti quoddam, fatis paesentibus, ortum
principium inter nos, hujus amicitiae.
Ut lecta est Tomyris, nec non constantia Trottae.
Quas immortales, dive poeta, facis,
vidimus et postquam tua carmina ; amore relicto,
grande quibus suades, aggrediamur opus ;
in te crevit amor meus ; et nova gloria famam
transgressa est, dextro Numine parta tibi.
Tanta ibi dicendi gravitas, facundia tanta est,
reddar ut incertus quid magis ipse probem.

Et tibi Phoebus adest, Elego seu carmine laudas,
sive canis paribus grandia facta modis.
O dilecta Deis ! O felicissima tellus !
In qua tu fausto sidere progenitus.
Nos quoque felices ! Ad quorum limina sacros
Pieridum cantus ex Helicone refers.
Tu tamen in primis nova concipe gaudia, nostri
temporis egregium, clare Guarine, decus.
Nam liquor ille tuo manans de flumine, latum
per terras omnes jam sibi quaerit iter.
Optima sic fructus generosos educat arbor,
sic radios spargit Cynthius ipse suos.

## ELEGIA VI

### JANUS PANNONIUS TITO VESPASIANO STROZZAE.

E2_06 Dicite, quae sacro mittam responsa poetae,
Pierides ; vestri Numinis istud opus.
Dicite, nam verbis caelo me talibus aequat,
oblitus cogar prorsus ut esse mei.
Si quem sensisset de se Maro tanta sonantem,
signasset vatis conscius ora rubor.
Saxea quin etiam potuissent signa moveri,
aut si quid saxo durius esse potest.
Irrisitne meas simulans extollere nugas ?
An potius nostri falsus amore fuit ?
Non est tanta ejus levitas in pectore, non est,
ut soleat similes ille referre jocos.
Ipsum praeterea non cari fallit amici,
sed qui blanda manu spicula torquet amor.
Quodsi tale nihil fas est me credere, solum
restat, ut hortandi nomine dicta rear.
Hoc sancti mores, probitas hoc insita linguae,
hoc mens invidiae clausa putare jubet.
Qui cum sit nostri longe doctissimus aevi,
exoptat plures surgere posse Titos.
Hinc me commendat, titulis ut concita virtus,
Castaliam prono largius ore bibat.
An, si pavo suas spectari viderit alas,
expandet caudae sidera picta suae,
nos nihil his stimulis, nihil hoc animabimur oestro ?
Haud adeo nobis ferrea corda rigent.
Sint tibi mille igitur, misso pro carmine, grates,
quod duplicis meriti pondus et instar habet.
Nam semper cura nitar studiosius omni,
laudibus inveniar ne minor esse tuis.
Aut si non dabitur proprio clarescere versu,
nostra satis per te fama perennis erit.
Vivus apud vivos memorabile nomen habebo,
mortuus a sera posteritate legar.

## ELEGIA VII. *

### TITUS VESPASIANUS STROZZA, AD ANNULUM A PUELLA DONO SIBI DATUM.

E2_07

Annule, dulce mihi dilectae munus amicae,
annule, delicias inter habende meas ;
tu licet excellas auro pretiosus, et apte
gemma sit artifici clausa magisterio ;
est aliquid mihi quo meruisti gratior esse ;
scilicet in nivea te tulit illa manu.
Illa etiam dono cum te mihi tradere vellet,
in primis monuit, quam sibi carus eras.
Mecum igitur semper, noctesque diesque manebis,
mille tibi amplexus, oscula mille feram.
Inque sinu ponere, manus dum nostra lavetur,
invida ne nitidum te mihi laedat aqua.
Tu modo, laeva, cave commissum perdere pignus,
si qua hoc mandantis gratia tangit heri.

## ELEGIA. VIII.

### JANUS PANNONIUS DE EODEM ANNULO, AD TITUM VESPASIANUM STROZZAM.

E2_08

Legimus, o vates, tua carmina, carmina Phoebo
digna, nec Orpheis inferiora sonis ;
pulchra quibus tenerae commendas dona puellae,
grata refers animo quae nimis esse tuo.
Nec tantum dono, quantum donante moveris,
auctor momentum munere majus habet.
Ast ego, pace tua liceat modo vera referre,
quod sedeat nobis commemorare velim.
Nec quia Thersites videar moniturus Ulixen,
hoc nostrum debes spernere consilium.
Cernere amor rectum, te non sinit, ast ego cerno
plurima, quem vinctum nulla puella tenet.
Censeo, ut hoc dubium suspectae munus amicae,
a digitis jubeas eminus esse tuis.
Femineae mentes multum levitatis abundant,
et semper varium femina pectus habet.
Femineo impulsu (non est ea fabula falsa)
occidit prolem, trux Catilina, suam.
Tarquinius socero rapuit male regna necato,
Tulla caput sceleris consiliique fuit.
Quem detestato quondam jugulaverat ense,
nunc gemit ereptum, garrula mater, Ityn.
Ad Styga deportant terebratas Belides urnas,
agmina cognatos ausa necare viros.
Quod fertur quondam per saecula cuncta fuisse
orba viris Lemnos ; femina causa fuit.
Quam simul insanis tangens Venus improba flammis,
intima vibratas fixit in ossa faces,
naturale malum funesto augetur amore.
Tunc furit, ut patrio Thebais acta Deo.
Tunc vel Chalcidicis est inconstantior undis,
tunc est Hyrcana tigride saeva magis.
Tunc levibus levior stipulis et fronde caduca,
quam raptam praeceps, fert per inane Notus.

Nec curat famam ; nullum patrare veretur
flagitium ; caecus quidlibet audet amans.
Esse potest aliquis vestrorum inimicus amorum,
invidus esse potest ; aemulus esse potest ;
qui te forte alias confinxit amare puellas,
et rem, vesanam detulit ad dominam ;
illa fidem falsae tribuit temeraria culpae,
quisquis amat, nimium credulitatis habet.
Inde venenatam, simulato munere, gemmam,
imposuit digitis insidiosa tuis.
Nec mirere quidem tam magna audere puellam,
non famam ex tanto crimine prima feret.
Cum relegas veterum divina poemata vatum,
qualibet exemplum de muliere cape,
quam malesanus amor diras committere caedes
impulit, et promptam fecit ad omne nefas.
Scylla suum roseo spoliavit crine parentem,
ausa Mycenaeum nupta necare ducem.
Sanguine natorum polluta est barbara mater,
privignum leto Cressa noverca dedit.
Ustus in excelsa cecidit Tirynthius Oeta ;
causa fuit mortis Deianira malae.
At non esse tuam tam prava mente puellam,
et bene te mores nosse, loquere, probos.
Non erat Aeolidae conjux suspecta marito,
induit arma tamen proditione sua.
Nec te securum tanto in discrimine praesta,
nec nimium dominae credulus esse velis.
Quae minime sperant freta sunt infesta carinis,
qui minime rentur piscibus esca nocet.
Dum secura sedet ramo super arboris ales,
adspicit implicitos, aucupis arte pedes.
Dum penitus misso gaudebat laeta timore,
capta fuit Graio Dardana Troja dolo.
Excute de digitis malesanae dona puellae,
excute ; amara sub hoc melle venena latent.
Quis demens adeo, quis tam vesanus et excors,
ut velit in proprium ferre venena caput ?
Fac tamen occultis ea dona carere venenis,
at magicum certe carmen habere queunt,
quod te posse aliam, quam vis adamare puellam,
et quam nunc ardes, deseruisse vetet.
Infelix, cura torquebere semper eadem,
et nulla aeternum finiet hora malum.
Cantatas alio transferre vetabere flammas ;
sic semper turpis te retinebit amor.
Et cum legitimas poscent tua corpora taedas,
tardabit justas fax inhonesta faces.
At nec Sisyphiden Circe, nec Jasona Colchis,
carminibus potuit detinuisse suis ;
sic erat in fatis. Tenuisset Jasona Colchis,
Sisyphiden Circe : tres vetuere Deae.
Tu bene per magicas in amore teneberis herbas,
nec tu Parcarum stamine tutus eris.
Adspice Thessalicis sit quanta potentia succis,
carmina ne tantum juris habere neges.
Carmine Sol pallet ; traducunt carmina messes,
e caelo Lunam carmina saepe trahunt.

Haec stellas fuscant, nebulas ex aethere pellunt,
his pluviae in terras, vel sine nube, cadunt.
Carmine terra tremet, juvenescet carmine Nestor,
carmine tranquillum, cum tumet aequor, erit.
Eliciunt manes, refrenant flumina cantus,
et faciunt hominem protinus esse lupum.
Hae te non poterunt artes in amore tenere,
quae caelum, terras, aequora tota tenent ?
Pone, quod hoc donum, nullum cum carmine virus
portet ; ut amoveas, altera causa monet.
Quod te cumque solum, quae te loca cumque tenebunt,
sive propinquus eris, sive remotus eris,
immitem ex animo numquam delere puellam,
te sinet in digitis gemma locata tuis ;
continueque suum coget succurrere nomen,
cum paene ex animo fugerit omne tuo.
Ac velut exstinctum levis aura resuscitat ignem,
quem superinductus texerat ante cinis ;
sic recrudescent tua vulnera semper in horas,
quae te sollicitet, causa perennis erit.
Quos tunc, infelix, quos tunc effundere questus,
singultu vocem praepediente gravi,
quos dare cogeris gemitus, suspiria quanta ?
Invitis quoties illacrimare genis ?
Pone age de digitis malesanae dona puellae,
quae te sollicitum saepe retenta dabunt.
Gemma laborato, quae clausa refulget, in auro
cur te delectet, sola ea causa subest,
quod fuit in digitis carae gestata puellae,
quod dedit hanc digitis, cara puella, tuis.
Quo magis ingenuas animum debemus ad artes
flectere, quas nobis magnus Apollo dedit.
Quas bona Melpomene, quas cetera turba sororum,
pectore quas gestat Calliopea suo.
Nec quod ad has sacras esses minus impiger artes,
id nunc me verbis insinuasse puta ;
sed tamen humanas persaepe retardat, et arcet
a studio mentes desidiosus amor.
Quare age non solum malesanae dona puellae,
munera de digitis excute, quaeso, tuis ;
sed cum te haud lateat, quam sit male blanda Voluptas,
cum bene perspicias, quam sit acerbus amor ;
excute damnosas captivo e pectore curas,
deme Cupidineis et tua colla jugis ;
prorsus et ingenuas convertere totus ad artes,
et grave, neglecto carmen amore, cane.
Quisnam, cui sese redimendi est ulla facultas,
malit servili subdere colla jugo ?
At Deus est, referes, et habet sua tela Cupido,
non valeo tantum vincere Numen homo,
vulnificos arcus, celeres quibus evolat alas,
nec non ignitas fertur habere faces.
Esse Deum, genitumque Dea, confinxit amorem,
servitio obsceno caeca libido favens ;
numinis et titulo voluit velare furorem,
dignior ut venia, liberiorque foret.
Scilicet aligerum terras Erycina per omnes,
admissis natum gressibus ire jubet !

Ille levem rapido conscendens aethera cursu
contorquet tenera spicula lenta manu !
Ac genus humanum, et Superos dominatur in omnes,
et quicquid pascunt sidera, terra, fretum !
Hoc hominum quondam finxit temerarius error,
et Venerem et pharetras, nude Cupido, tuas.
Ocius abscedant commenta Cupidinis arma,
ocius abscedat luxuriosa Venus.
Pegasides veniant, veniat citharoedus Apollo,
et cum Maenalio, candide Iacche, deo.
Quos gravis ingenti comitetur Gloria passu,
et late rapido quae pede, Fama , volat.
Scribere quae valeas sunt plurima praeter amorem,
sive nova arrident, sive vetusta placent.
Bellica sive juvat clarorum gesta virorum,
carmine materiae conveniente suae ;
sive referre togam ; per quas tua naviget undas,
cymba, dabit Latium, terra Pelasga dabit.
Sunt quae Cecropidae, sunt quae Spartana juventus,
et Rhodos, et populus, clare Corinthe, tuus,
sunt et quae magnae quondam gessere Mycenae ;
Oedipodionidum plurima facta vacant.
Plurima Lydorum, Persarum plurima restant,
et Macetum gentes multa tenenda dabunt.
Sunt res Albanae, Carthaginis acta supersunt,
et dare quae referas, maxima Roma, potest,
Roma triumphatas inter celeberrima gentes,
terrarum domitrix, imperiale caput.
Nam quota gestorum pars est memorata Quiritum ?
Cantatis longe plura canenda vacant.
Forte minus te prisca juvant ; nova multa dabuntur,
saecula sunt claris nostra referta viris.
Rex Alfonsus adest ; sunt quos Malatesta propago
edidit ; est Princeps, Mutina clara, tuus.
Seditiosa gerit civile Bononia bellum,
par Genuae status est ; haec memorare potes.
Florentina potes, Venetum potes arma referre,
et potes anguigerum concelebrare ducem.
Ecce autem gentes adversum justa profanas,
numine pro vero Pannones arma ferunt.
Horum bella potes mansurae tradere famae,
et tot praestantes occubuisse viros ;
cum quibus et regem validis cecidisse sub armis,
pro sacra aeterni relligione Dei.
Quippe ego non possum tantis me accingere rebus,
cum meus in primo pulvere sudet equus.
Tu potes hoc longe melius decurrere campo,
nam tuus e stadio saepe recurrit equus.
Neve externa sequar, pelago dare vela propinquo
incipe, et Estenses tolle, age, ad astra viros.
Quorum qui nunc sunt, populos in pace gubernant,
et Musas, et te, pulcher Apollo, colunt.
Hos toga delectat, Martem coluere priores,
et bello magnum promeruere decus.
Quamvis materiam domus haec celeberrima praebet,
sive velis lartem dicere, sive togam.
At desunt vires numeris, nec credere sese
audet tam vasto nostra carina salo !

Solve ratem, curret ; nervos intende, valebunt ;
   inceptis aderit Calliopea tuis.
Quid tamen ingenio valeas, bene novimus omnes,
   tu fingis Clario carmina digna Deo.
At sine me paullum tantis praeludere rebus,
   ut sternant magnis metra minora viam.
Labuntur sensim, dum te praeludere fingis,
   tempora ; sic aetas praeterit omnis iners.
Prolusum est, ventis, pelagus patet omne, fugatis,
   strataque carminibus satque superque via est.
Incipe, quid metuis ? Phoebus favet ; incipe tandem
   et freta de parva magna palude pete.
Post molles rixas, certamina magna canantur,
   et quae sunt alio bella canenda pede.
Sit finis ludo, valeat lasciva Dione,
   sume gravem plectro cum graviore lyram.
Nox erat, irriguo dederam mea lumina somno,
   est Deus ante oculos visus adesse meos ;
Phoebus erat certe, Phoebum chelys ipsa probabat,
   et pharetra, et lauro nexa virente coma.
Hos ad te incomptos monuit me scribere versus,
   excipe tu placido carmina nostra sinu.

## ELEGIA. IX. *

### TITI VESPASIANI STROZZAE AD JANUM PANNONIUM RESPONSIO.

E2_09

Quis novus ille sacri vates Heliconis in antro ?
   Cujus Apollineum carmen ab ore sonat.
Dicite, Pierides, ubi primos egerit annos,
   quae tener insueto presserit arva pede ?
Quo duce lauriferae peragraverit avia silvae ?
   Sub quibus ille vagans luserit arboribus ?
At, nisi mens fallit, videor cognoscere vatem ;
   hunc, Heliconiades, vos aluisse ferunt.
Vos canere arcano puerum docuistis in antro,
   pulsaque fila levi sollicitare manu.
Ipse sacris adhibere choris dignatus Apollo
   jussit honorata cingere fronde caput.
Perque pias duxit sedes et amoena vireta,
   plurima Pegaseos qua tegit umbra lacus.
O nimium felix ! O fortunate poeta !
   Ingenio priscis aequiparande viris !
Ecce tibi faciles donant sua carmina Musae.
   Nec negat Aoniam, pulcher Apollo, lyram.
Jam tibi pallentes hederas thyrsosque merenti,
   praebuit, et currus Euchius ipse suos.
Nec tibi deficiunt, ubi vis intendere, vires.
   Ardua sive libet, seu leviora sequi.
Quid formae decus, et mores, sanctumque pudorem,
   quid referam vitae candida facta tuae ?
Omnia praesentes Superi tibi, Jane, dedissent,
   ni vacuum dulci, pectus amore, foret.
Immeritas nec jam satis est odisse puellas,
   tristia sed tetrico carmine bella paras.
At mihi servitium capto, dominamque ferenti,
   objicis extremae crimina desidiae,

quodque diu fuerim mordaci fabula vulgo,
   nec patriis humilis tollar imaginibus.
Nec quod amans rectum videam, cum plurima cernas,
   subjectus nullis ipse cupidinibus.
Incautumque vocas et sanae mentis egentem,
   cujus sit dubio credita cymba mari.
Munera quin etiam carae pretiosa puellae,
   ut suspecta mihi despicienda putas.
Saepe, refers, dulci sub melle venena latere,
   et placitis hamum saepe subesse cibis.
Quanta puellari levitas in pectore regnet,
   quam cito consuerint credere salsa, mones.
Quid valeant herbae, quid noxia carmina narras
   et quodcumque Venus monstret iniqua nefas.
Multaque feminei memoras exempla furoris,
   transversas olim, quas malus egit Amor.
Acrior his, ut me redimam, rationibus urges,
   utque velim ex humili tollere valle caput,
tum positis levibus curis, et amore relicto,
   regia sublimi condere bella pede.
Non equidem adversor tibi me nunc, Jane, monenti,
   atque meae fateor crimina nequitiae.
Nec te Thersiten, potius sed Nestora dicam.
   Tam bene qui noris, tam graviterque loqui.
Sed tamen aut fatis, aut longo impellor ab usu,
   optima cum videam, deteriora sequar.
Non secus assiduis confectus febribus aeger,
   invisam medicae despicit artis opem.
Tum succos omnes, medicamina cuncta perosus,
   negligit infirmi corporis auxilia.
Forsitan huic poteras olim succurrere morbo,
   cum primo illatum, nec grave, vulnus erat.
Nunc sero medicina datur, nec inania posthac
   proderit amisso claudere septa bove.
Non ita praecipites agitantur in aequore cymbae,
   cum Notus Ioniis fluctibus insonuit,
ut me versat Amor, pectus populatus, et omne
   jus animi ; atque suo me regit arbitrio.
Talis permultos tulit exitus, hic quoque Titum
   auserat, hoc noster limite currat equus.
Mortales omnes neque enim trahit una voluptas,
   ingenio sequitur proxima quisque suo.
Hunc rapit armorum sublimem gloria caelo,
   proferat ut victis gentibus imperium.
Lucra petens mercem fuscis vehit alter ab Indis,
   alter ab Oceano, flave Pritanne, tuo.
Ille sacris caelebs Superum se dedicat aris,
   hic notat astriferi, lucida signa, poli.
Hunc juvat occultas naturae discere vires,
   et procul a vulgo condita mente sequi.
Ille Machaonias animum convertit ad artes,
   versat et antiquum sedulus Hippocratem.
Hunc juris lassant numerosa volumina, at illum
   nobilibus studiis docta Minerva tenet.
Me mea sors tenero voluit succumbere Amori,
   et mihi pars hujus credita militiae est.
Non, ut rere, tamen (liceat mihi vera tueri)
   desidiam castris dux habet ille suis.

An tibi, cum vigilet totas ad limina noctes,
anxius in dominam, segnis amator erit ?
Quem labor haud ullus, quem non via longa fatiget,
ignavi turpem sustinet ille notam ?
Strenuus oppositos audet transcendere montes,
horrida nec boreae frigora curat amans.
Nec rapidi tardant undis spumantibus amnes,
cum fluit ex altis nix resoluta jugis.
Lentus erat juvenis, cum saeva per aequora nabat,
quem tepido fovit Sesta puella sinu ?
An Turni solitas vires animosque Cupido
fregit ? An ignavum reddidit Aeaciden ?
Ferre famem, tolerare sitim, contemnere somnos,
dura pati didicit plurima, quisquis amat.
Sed non, quae deceant, positi sub nubibus atris
cernimus, et vobis purius ista patent !
Semivirum didicit, monstrante Cupidine, Theseus,
qua voti compos perderet arte, bovem.
Incolumis numquam patriae tetigisset Iason
litora, Phryxeae vellere clarus ovis,
ni benesuadus Amor vitare pericula tanta,
poscere virgineam, ni monuisset, opem.
Ille dat ingeniis vires, animique vigorem
excitat, ille rudes perficit arte viros.
Ast incerta sequor te judice, nec mibi fas est
noscere, quem mea sint vota habitura modum.
Haec, quodcunque hominum fruitur vitalibus auris,
sors habet, et fati nescia jura latent.
Tene putas nostris exceptum legibus esse ?
An tua sors melior sorte putanda mea est ?
Si mihi difficiles casus memorabis amantum,
sunt quibus indulsit non inimica Venus.
Haud semper vultu perstat Fortuna minaci,
non omnis rabido est agna dicata lupo.
Caede Neoptolemus patria si territus esset.
Liquisset turpi Dorica castra fuga.
Cum toties fuerint infidae puppibus undae,
creber in aequoreas navita fertur aquas.
An quia Cadmeum juvenem laceraverat olim
montibus Aoniis effera turba canum,
segnior Hippolytus silvis canibusque vacavit ?
Venandi Cephalo cura minorve fuit ?
Nec tu Palladias ideo nunc despicis artes,
hae licet intulerint plurima saepe mala,
docta licet quondam magni Demosthenis ora,
in dominum fuerint perniciosa suum ;
exitium ingenio quamvis sibi triste pararit,
gloria Romani Tullius eloquii,
causaque Nasonem similis procul urbe fugatum,
impulerit Getici litus adire maris.
Munera cur spernam, gratae mihi pignora mentis,
quae summo quaeri digna labore forent ?
Gemma erit in pretio, quam se mercator avarus
finxerit a rubri litore ferre maris,
annulus artis opus mirae mihi vilis habendus,
quem tulit in digito, dia puella, suo ?
Cui neque nostra parem, neque prisci temporis aetas
vidit, nec similem saecla futura ferent.

Quam suavis placido comitatur gratia vultu,
tristis ubi nullum, vindicat ira locum.
Quae me non dubitat nitidis praeponere ocellis,
quae mihi vel proprio corpore cara magis.
Haec in nos igitur magicas meditabitur artes ?
Miscebit timida toxica dira manu ?
Thessalicos, esto, ritus, herbasque nocentes
noverit, atque ausit quaeque nefanda sequi ;
quo, reus, admisso merui sperare venenum ?
Immerito miseram cur paret illa necem ?
Quid metuam, invitus ne carmine cogar amare,
cum nostrae cedant carmina cuncta Deae ?
Hac Laertiaden facie Phoebeia Circe,
Phasias hac potuit detinuisse virum.
Hac mea difficili vinxit praecordia nodo,
illius ut nulla solvar amore die.
Quodsi, credentem nimium mutare puellam,
criminibus fictis improba lingua valet,
imminet hoc aliis etiam commune periclum,
in fera, quos eadem, proelia lingua ciet.
Illa propinquorum communia jura resolvit,
foederaque antiquae rumpit amicitiae.
Condicio haec multos, non solos tangit amantes,
haec te sollicitum reddere cura potest.
Non saevi (ut scribis) Catilinae femina mentem
compulit in facinus ; dux fuit ipse sibi.
Nam furor immitis, quo perdere cuncta parabat,
egit ut in prolem verteret arma suam.
Tarquinium rapuit dominandi caeca libido,
materiam sceleri quae dare saepe solet.
Si Danai proles, cognato sanguine ferrum
tinxit, securis insidiata viris,
causa fuit genitor, jussis metuendus acerbis,
ut formidatas tolleret ipse manus.
Lemniadum mentes agitavit Numinis ira,
nec sontes reliquas impia Scylla, facit.
Thesiden contempta Venus, non Cressa peremit,
ulcisci offensas sic solet illa suas.
Amphitryoniades non crimine Deianirae,
fraude sed occubuit, perfide Nesse, tua.
Molle dedit teneris pectus natura puellis,
quas tamen impellit justus in arma dolor.
Audierat partim, partim delicta mariti
viderat, Aegisthi, Graia secuta, fidem.
Laesaque natorum maculata est sanguine Colchis,
et Progne infidi conjugis ulta nefas.
Cur omnes igitur sceleris tua carmina damnant,
de tot paucarum crimina si qua vides.
Extulit hunc etiam celeberrima gloria sexum,
et monumenta suae plurima laudis habet.
Virginitas ultro servata, et bellica virtus,
magnum Orithyiae contribuere decus.
Lampedon, Hippolyten, Menalippen, Jane, videmus
illustres inter nomen habere viros.
His quoque se comitem merito Marthesia jungit,
nec caret Antiope laude, nec Harpalyce.
Magnanimam Tomyrin, fortem propone Camillam,
et subeat menti Penthesilea tuae.

Adde et Amazonia reliquas de stirpe sorores,
respice Carmentam, respice Penelopen.
Ulta nefas animo, propria et Lucretia dextra,
invicto occurret clara pudore tibi.
Ac rapidum nando transmittere Cloelia Thybrim
ausa, suis animis praemia digna tulit.
Quid te commemorem Vestalis Claudia virgo,
qua stetit attoniti vindice fratris honos ?
Quisve tuum dignis nomen, Cornelia, tollat
audibus ? Aut animum, Porcia casta, tuum ?
Quis te praetereat generosi pectoris Esther,
non bene damnatos, protinus ulta, Syros ?
Quisve Palaestina genitam te stirpe virago,
spem taceat patriae, subsidiumque tuae ?
Te duce libertas Moseae reddita genti,
Assyriusque tua concidit arte furor.
Si fortasse petes exempla recentia, nonne
cognita perpetua laude Mathildis erit !
Sponte, opibus spretis, regnum Violanta reliquit,
seque sacri sociam maluit esse chori.
Nec tamen hanc illi vel inanis gloria mentem,
vel praeceps studium, simplicitasve dedit.
Sed ratio constans, haud turpi obnoxia voto,
ac vitae tendens ad melioris iter.
Harum ingens numerus terras florere per omnes
cernitur, hac caelo quis datur ire via.
Legibus his etiam multas numerare solutas
possumus, insignes moribus atque fide.
Sed procul a coepto videar discedere, si tot
insistam exemplis, quae bene nota tibi.
Denique seu pacis, seu belli munera quaeris,
seu nova, seu prisci temporis acta leges,
plurima quae laudes, muliebria facta videbis,
vix plures titulos fama virilis habet.
Turpiter his hostem, cum te fatearis, amice,
ac fugias vitae quae tibi nota comes,
ede quid esse velis, quem te mihi dicere fas sit.
Aptane quaerendis laudibus ista via est ?
Obscenum laeso vitae candore relinquis
judicium, verbis proditus ipse tuis.
Atque aliquid licuit mihi credere, ni bene nossem,
ingenuos mores, Socraticamque domum.
Ipse ego naturae ducentis jura secutus,
pergam, quo coepi tramite, ferre pedem.
Nec tamen immerito ; quid enim praestantius umquam
pacifico, Genius mitis, Amore tulit ?
Ille decus caeli, et Superum jucunda voluptas ;
hoc absente, Jovis regia tristis erit.
Illius adventu gaudent volucresque feraeque,
quicquid alit tellus, aequora quicquid alunt.
Hic pacis Deus est, et amabilis optat amari,
spernit opes, odit turpia, pulchra cupit.
At quae bellipotens exercet vitricus arma,
non probat, et nulla est caede cruenta manus.
Si quis amans, aliquid sine lege, immane, nefandum
molitur, nullum hic crimen amoris erit.
Nam male compositae praeceps insania vitae,
mortales animos, in scelus omne trahit.

Implacidas hominum docuit mansuescere mentes,
dulciaque objecit pabula mollis Amor.
Ille truces fastus violentaque pectora lenit,
nec regum claris cedit imaginibus.
Aeneamque suum, ne non foret omnibus idem,
accendit vultu, candida Elisa, tuo.
Nil sua facundum solertia juvit Ulixen,
nec magno virtus profuit Aeacidae.
Pauper adhuc, luxu penitus dum Roma carebat,
sceptrifer Egeriam fertur amasse Numa.
Aurea, progenitum divino sanguine, Caesar,
spicula, cognati, te petiere, Dei.
Ille ferum Hannibalem domuit, regemque superbum,
area cui totus parvula mundus erat.
Sensit et Atrides vim Numinis hujus et arma,
concidit Argolica, quo duce Troja, manu.
Pectora quin etiam magni incaluere Platonis,
cujus tam celebri carmine notus amor.
His comes accedit Calvus, mollisque Catullus,
atque Anser, flammas qui cecinere suas.
Abstulit ardentem Gallum formosa Lycoris,
carmine amatoris Cynthia clara sui est.
Vivit ab insigni Nemesis celebrata Tibullo,
vivit Pelignis, nota Corinna, sonis.
Ille sacri vates operis Jesseia proles,
praefecit populo quem Deus ipse suo.
Bersabeae captus forma, tibi, magne Cupido,
cessit, nec Salomon tutior ipse fuit.
Quique Philistaeos subita oppressisse ruina
dicitur, et certam non timuisse necem,
succubuit victus, teneroque vacavit Amori,
nec puduit domina multa subente pati.
Nil magis horrendum Polyphemo senserat Aetna,
saevior indomitis fratribus ille fuit,
dum tamen aequorea siccas in rupe capillos,
exarsit, visa te, Galatea, Cyclops.
Admovitque preces blandus studioque placendi,
insolita rigidam pexuit arte comam.
Jam tibi poma legit, tibi pastoralia cantat
carmina, lanigeras jam tibi servat oves.
Quem neque proposito pietas humana nefando
arcebat, magni cura nec ulla Jovis,
leniit hunc blandae Veneris placidissima proles,
quae valet aeternos sollicitare Deos.
Suspice quam nitido mutata effulgeat astro,
frigida veliferas quae regit Ursa rates.
Suspice Sidonii radiantia cornua tauri,
florida cui simplex serta puella dabat.
Suspice Atlanteam Maiam, geminasque sorores,
ab Jove quae caelum pignus amoris habent.
Quis vero innumeros Alcidae nesciat ignes ?
Et quot saeva manu monstra peremit amans ?
Tu quoque amator eras, cum Thessala rura tenenti
praestabat citharae, fistula, Phoebe, vicem.
Quid Steropen, Veneremque sequar ? Quid Pallada ? Quidve
Ilian hic referam, Mars, placuisse tibi ?
Persea quid memorem, dubiae qui praemia pugnae
Andromeden subito saucius igne tulit ?

Quidve, triumphato dum victor ab orbe redires,
lyncibus avectam Gnossida, Bacche, tuis !
Arsit in Alcyone gelidarum rector aquarum,
cepit Amymone, Laodiceque Deum.
Illi cura fuit Tyro et formosa Celaeno,
anguibus et nondum cincta Medusa caput.
Sit licet Oceanus spatiosis obsitus annis,
flagrat inexstincto Tethyos igne suae.
Tithonusque pater, cano venerabilis aevo,
te, Dea venturae praevia lucis, amat.
Hippotaden rapido ventorum turbine lassum,
pulchra fovet niveo Deiopea sinu.
At Zephyrum Chloris, quae floribus arva coronans,
efflat odoratis, lilia mista, rosis.
Quo me saeve feres Aquilo ? Num te quoque victum
credibile est ullas sustinuisse faces ?
Horridus ille licet, Superis, terrisque minetur,
aequora terribili, concitet alta, sono,
litore ab Actaeo placitam rapuisse puellam
dicitur, et votis consuluisse suis.
Nec tamen a Latio, gelidae sed rupibus Arcti
et patriae rigido venit ab axe tuae.
Arsit et implacidus Stygii dominator Averni,
duraque permulsit pectora blanda Venus.
Virgineamque ferens sub regna latentia praedam,
noctifero pavidam terruit axe diem.
Denique cuncta videt subjecta Cupidinis armis
aethere prospiciens Phoebus utrumque polum.
Nec mare, nec terras, nec sidera summa moveret,
ni quiddam egregium, ni Deus esset Amor.
Omnia cum nullo superet discrimine, quidnam
mirum est, in tanto si grege Titus amat ?
Nam mea Nestoreos aetas nondum attigit annos,
nec me Tithoni longa senecta premit.
Nunc Venerem tractare decet, nunc dicere cantus,
nunc dare flaventi mollia serta comae.
Tu quoque quid faceres tales sortitus ocellos,
quales non Io, non tulit Antiope ?
Nempe tibi caderent tam fortia verba, nec ullam
Scaevola, nec Cicero tradere posset opem.
Ille licet juris fuerit legumque peritus,
alter Palladio noverit ore loqui.
Desine velle meos abrumpere durus amores,
et sine me placito vivere servitio.
Quisquis ab hoc vitae poterit me avertere cursu,
ille avidam Tityi pectore pellet avem.
Tantaleamque sitim fugitivis leniet undis,
atque tuum, infelix Sisyphe, sistet onus.
Clarus erat bello, bello quoque concidit Hector,
et periit notis Tiphys in aequoribus.
Ast ego, quem certo jam pridem perculit arcu,
aligeri semper miles Amoris ero.
Et tibi, quem curis vacuum respexit Apollo,
grandisona linquam bella canenda tuba.
Despice, parve liber, morsus Livoris edaces,
jam tibi Caesareo contigit ore legi.
Maxima perpetuae referes praeconia laudis,
carmina judicio, si probat ille, suo.

## ELEGIA. X.

### JANI PANNONII RESPONSIO.

E2_10 Quae lento partu genitrix Natura profudit,
illa solent multos vivere firma dies.
Tardius Actaeae quia crescit truncus olivae,
arboribus reliquis saecula plura videt.
Corrigitur, spatio durandi, segnior ortus,
pensat crescendi longa senecta moram.
Sic tu sera meis reddens responsa tabellis,
misisti dignos posteritate sonos.
Lentum appellabam quondam, nunc fingere miror
tam cito tam doctos te potuisse modos.
Si vel septenos esses cunctatus in annos,
ignavi nomen vix subiturus eras.
Ah ! Nimis argute blandum defendis amorem,
dispeream si jam crimen amare puto.
Quantum non ulli vates habuere vetusti,
tantum dicendi, tu Tite, robur habes.
Aegrius humanas siquidem crudelibus iras,
frangi posse feris, multa pericla docent.
Non potuit Bacchas, placavit Cerberon Orpheus,
asperior monstro barbara turba fuit.
Non potuit nautas, flexit delphinas Arion,
piscis opem tribuit, cui nocuere viri.
Jam video, nil est sermone potentius ipso,
jam video, nimium lingua diserta valet.
En ! ego qui fueram Veneris durissimus hostis,
cedo, relanguescit spiritus ille meus.
Haud tamen idcirco similes delabar in ignes,
invidiam fuerit deposuisse satis.
Sed te, quis Divum docuit tam nobile carmen ?
Qui tibi dictavit, Phoebus Amorne fuit ?
Discipulum teneri jam me profitebor Amoris,
si tam facundos efficit ille sonos.
Hactenus alterno decuit contendere versu,
certandi hic fiat, dulcis amice, modus.
Exin pacifero placidus me carmine visas,
et crebro a nobis te patiare legi.
Quippe tuas quanti faciam, doctissime, Musas,
alterius fias certior ore volo.
Ipse ego contineo conantem erumpere vocem,
ne qua blandiri me tibi parte putes.
At tu cum molli velox genitrice Cupido,
figite de nostra nulla tropaea fuga.
Quod cessi, haud ideo laetos agitate triumphos,
nec vestros currus florea serta tegant.
Non me captivum, sed amicum ex hoste parastis,
pacem vobiscum conciliatus ago.

## ELEGIA XI.

### AD FRANCISCUM DURANTUM FANENSEM.

E2_11

Quas tibi pro tali referemus carmine grates ?
   O decus, o patriae, gloria magna, tuae !
Ut placido cantu nostras demulseris aures,
   grande foret verbis explicuisse meis.
Nec me adeo gelidae demulcet spiritus aurae,
   nec me adeo murmur lene sonantis aquae,
nec me delectant aestivae gratius umbrae,
   arbore nec mollis sub viridante sopor.
Nec suavis tepidi veris mihi gratia, nec Sol
   dulcior hibernis est mihi temporibus.
Terque quaterque tuos uno stans in pede versus
   perlegi, et fixo lumine semper hians.
Protinus obstupui, cujus de gurgite fontis
   fluxerit ingenii copia tanta tui.
Et metito obstupui ; numerus jucundus in illis,
   et lepor, et gravitas, et sonus ipse facit.
Aut tu grandisonum servas sub corde Maronem,
   aut tibi ut arcano pectore Homerus adest.
Non opis est nostrae dignas tibi reddere grates,
   his me qui studiis invigilare mones.

## ELEGIA XII.

### AD ANTONIUM MARIAM, DE CONJUGE DUCENDA.

E2_12

En novus ad nostras perfertur nuntius aures,
   te studium sacris applicuisse toris.
Gaudeo, et hoc coeptum ne mens tua deserat, hortor,
   propositum laudo, consiliumque tuum.
Est bona pars hominum, thalamos quae damnat et odit,
   a quorum numero me procul esse velim.
Ipse Deus fertur lectum statuisse jugalem,
   cum lutulenta hominem composuisset humo.
Neve aliquis seros caelebs remaneret in annos,
   Romanae cautum legibus urbis erat.
Ergo et Romulidis sacratae vincula taedae,
   constat et aeterno complacuisse Deo.
Jure tua est igitur cuivis laudanda voluntas,
   jure igitur conjux, et pater esse cupis.
Sed festas matura faces cum tempora poscent,
   luxque celebrandis venerit apta toris,
quilibet egregio tecum certabit amicus
   munere, dans animi pignora certa sui.
Nos nec ebur nitidum, nec fulvi dona metalli,
   nec dabimus culta, tegmina facta, manu.
At saltem argutum numeris Hymenaea canemus
   dicemusque aptos, ore sonante, modos.
Sed tamen interea Superos orabimus omnes,
   fundemusque preces, et pia vota Deis,
ut te dignentur casta donare puella,
   quae referat mores, non aliena, tuos.
Praecipue nostris offertur idonea votis,

diva, domum cujus sustinet altus Eryx.
Hanc igitur votis, et fupplice voce, vocabo,
haec placido justas excipit ore preces.
Alma Venus, cujus, quicquid fert pontus et aether,
quicquid alit tellus, gignitur oflicio ;
nata Tonante Venus, qua nulla potentior alto
regnat Diva polo ; nata Tonante Venus !
Sive Cytheriaca segnis spatiaris arena,
sive Cnidi celebras litora, sive Paphi,
sive sub Idalia requiescis molliter umbra,
sive in Acidalio corpora fonte lavas,
huc ades, et niveas frenis adjunge columbas,
te Charites, geminus te comitetur Amor.
Et quoniam duce te, Phrygius sua praemia judex
vexit ad Iliacas, per freta longa, domos ;
da valeat castam, duce te , reperire puellam,
hic, pro quo blandas fundimus ore preces.
Tu cultus matrum, tu formas, Diva, recenses,
tu loca sidereo lumine cuncta notas.
Quicquid agunt terrae, caelo specularis ab alto,
cernis quo maneat bella puella loco.
Tu sis monstratrix, tu mutua foedera junge,
tu compone suo corpora bina toro.
Hoc, precor, efficias ; sic, dum cum Marte jacebis,
impediant lectum, vincula nulla, tuum !
Sic habeas juvenes, semper tua signa sequentes,
militiamque tuam multa puella colat !
Sic tua Panchaeis numquam vacet ignibus ara,
nec timeat saevos, Idalis umbra, Notos !
Sic semper niveis superes Tritonida membris,
nec vincat sormam, Juno superba, tuam !
Sic numquam trepidae fugiant tua frena columbae,
sub juga nec jussus, ire recuset olor !
Disce autem, qualem poscant mea vota puellam,
ne te quaerentem devius error agat.
Effice praeclaris sponsum virtutibus aequet,
labe vacent mores, corpora labe vacent.
Nobilis est sponsus ; generosam quaere puellam ;
est facilis ; facilem quaerere, Diva, stude.
Est pius, est prudens, gravis est, moderatus et aequus,
sit pia, sit prudens, aequa, modesta, gravis.
Fac servet castos, plus quam Lucretia, mores,
quippe vir est ipso castior Hippolyto.
Integer est sponsus ; sanctam perquire puellam,
est mitis ; mitem quaerere, Diva, stude.
Et quoniam ingenuas sponsus non negligit artes,
quodvis femineae calleat artis opus.
Stamine praegnantem, norit bene volvere fusum
et Tyrium Phrygia pingere tegmen acu.
Palladio raras denset bene pectine telas,
velleraque artifici molliat alba manu.
Sit facie praestans, ut sidera vincat ocellis,
ejus sit formae forma secunda tuae.
Purpureisque genis candorem misceat ; aequent
lactea colla nives, rubra labella rosas.
Haec si praestiteris, violas et lilia passim
spargam, devota, per tua templa, manu.
Tum laudes cantabo tuas, et tura cremabo,

quae legit in silva divite mollis Arabs.

## ELEGIA XIII.

### AD EUMDEM.

E2_13

Sensimus, Antoni, Romanam pergis ad urbem,
   felices, dextro sidere carpe, vias.
Sed quoniam Romae pollet tua plurima virtus,
   est tibi cum summis gratia magna viris,
Te norunt omnes et amant ; te maximus unum
   praeses Romanae diligit Ecclesiae,
quare age cum dominam terrarum intraveris urbem,
   ne mea Lethaeis nomina trade vadis.
Esto memor Musae, quae te cecinitque canetque,
   succurrant animo munera nostra tuo,

## ELEGIA XIV.

### EPITHALAMIUM
### IN MATTHAEUM HERBAM MEDIOLANENSEM,
### ET MARGARITAM COSTABILEM FERRARIENSEM.

E2_14

Non opus est citharis, ad sacra jugalia, vestris,
   Bellerophontei turba verenda chori ;
huc potius, roseo redimitus tempora vinclo,
   legitimas dextra concutiente faces,
huc ades, et taedis faveas, Hymenaee, maritis,
   haec est tutelae, subdita cura, tuae.
Tu mea plectra move, dignis ut versibus aequem,
   sponsorum laudes, tu mea plectra move.
Te duce, pulcher Hymen, Matthaeo jungitur Herbae,
   costabilis casto casta puella viro.
Ambo pares, ambo multa virtute decentes,
   congruit hic nuptae, congruit illa viro.
Sive velis formam, sanctosque requirere mores,
   praestat et illa nurus, praestat et ille viros.
Sive domos veteres et stemmata noscere mavis,
   nobile, sponsa, genus : nobile, sponsus habet.
Demum sive genus maternum, sive paternum
   quaeras : et matre est, et generosa patre.
Ipse etiam ambarum vir nobilitate parentum
   pollet, et antiquis inclytus exstat avis.
Patria non eadem est : Ferraria protulit illam,
   anguigerae pater huic urbis alumnus erat.
Una puellarum formas supereminet omnes,
   postquam in virgineo constitit apta choro.
Non aliter totum cum plena receperit orbem
   condit fraternas, obvia luna, rotas.
Ne tamen ignores cujus sit nata parentis :
   Costabilis genuit Bartholomaeus eam,
vir gravis et prudens, fortis, moderatus et aequus,
   multum Principibus gratus et inde suis.

Cum foret orator Venetam legandus in urbem,
Anguigerumve ducem ; Bartholomaeus iit.
Omnes vero, quibus Ferraria pulchra superbit,
Costabilem notum est, exsuperare domos.
Sive vetustatem grandesve requiris alumnos,
haec vetus, haec claris est generosa viris,
sed mora longa foret percurrere singula verbis,
nec caperet tantum grande volumen opus.
Finem igitur faciam, videar ne longior aequo,
sermonem longum non amat hora brevis.
Ante tamen, cui terra, fretum, cui sidera parent,
supplice communem voce rogabo Deum ;
sospitet ut nuptam tranquilla pace virumque,
et duo cara bona pectora jungat, ave.

## ELEGIA XV.

### EPITHALAMIUM AD GULIELMUM CALESINNUM ET FLORDEMILIAM GUARINAM.

E2_15 Princeps, magnorum laudes transgresse parentum,
inter Romuleos, dux numerande, duces,
horum praeclaras sponsorum expromere dotes
constitui, et nulla dicere verba mora.
Nec vero summo Phoebum de culmine Cirrhae,
non dulces Musas, non Hymenaea voco,
ad mea metra tuum, Princeps memorande, favorem
confer ; inexpertae dirige vela ratis.
Tu nobis Hymenaeus eris, tu magnus Apollo,
tu mea Castalio nectare labra fove.
Vos autem nobis placidas praebebitis aures,
sic major nostro vis erit ingenio.
Offert se primum nobis Calesina propago,
quae vetus et claris est generosa viris.
Ferrariae civem quae te, Gulielme, creavit,
cui datur haec lecto grata puella viro.
Quem probat effectus ; doctorem insignia monstrant,
hoc tibi sacra decus philosophia dedit.
Accedit quod avus Calesina e stirpe Joannes,
est tibi, quem gravitas lustrat et alma fides.
In quo tanta viget virtutis opinio, tantum
justitiae nomen cuncta per ora volat,
ut Princeps gravium majora negotia rerum
ejus mandarit semper agenda fide.
Nunc quia tota tuas callet Ferraria laudes,
majoresque tuos, progeniemque tuam ;
de te haud plura loquar, nec quae te forma decoret
edam, cum formae cedat Apollo tuae ;
sed sponsae egregias percurram ex ordine laudes,
cujus me nomen metra referre vetant.
Ast valeat nomen, praestet cognoscere mores,
et quam forte nequit nomen, imago notet.
Ut flos, de mille una gravi redimita pudore,
inter matronas nomen adepta micat.
Formosa huic formam tribuit Cytherea decentem,
huic pharetrata sacram, Diva, pudicitiam.

Huic Pallas multo replevit pectora Phoebo,
   edocuitque artes, Penelopea, tuas.
Cum quid acu insignit, Coas superare videtur,
   Sidoniasque simul Dardaniasque nurus.
Huic regina Deum, conjux Jovis, aurea Juno,
   matronale decus cum gravitate dedit.
Cernitis eximias specioso in corpore dotes,
   qualis et in niveo splendeat ore decor ?
Sed tamen has animi superat virtutibus altis,
   nec minus ornatum corpore pectus habet.
Haec pietate Deum colit, haec pietate parentes,
   et formam morum nobilitate premit.
Forte roget quisquam quo sit generata parente,
   attenta voces imbibat aure meas :
hanc de doctiloquo genitam sciat esse Guarino,
   Mercurius geminum cui dedit eloquium.
Quem loquor en ! Praesto est. Quisnam de sanguine natum
   humano talem censeat esse virum ?
Hunc genuit Verona parens, aluere Camenae,
   hunc docuit resona pulcher Apollo lyra,
hunc genus, integritas, hunc forma augusta decorat,
   et gravitas, et cum relligione fides.
Quid tantum sanctos stupet urbs Romana Catones ?
   Quidve stupet septem, terra Pelasga, viros ?
Socrate quidve suo doctae laetantur Athenae ?
   E quibus huic aliquem praeposuisse nefas.
Doctus Romano, doctus sermone Pelasgo,
   sive velit prosa scribere, sive metro.
Cum dicit prosa, Ciceronem dicere jures,
   cum cantat numeris, creditur esse Maro.
Plurima conscripsit per se sermone Latino,
   plurima de Graia transtulit historia.
Inclyta semper erunt rerum monumenta, vigebunt
   cum tot magnificis scripta voluminibus.
Semper erunt libri, qui scilicet ipsius omnes
   praescriptum summo margine nomen habent.
Per quos aeternum vivet mage splendida fama,
   donec erit Phoebus, sidera donec erunt.
Nec plus a magno scripti Cicerone libelli
   stabunt, aut nomen, Quintiliane, tuum.
Et cum Getulo, saevus Catilina, Jugurtha,
   et cum Romana Livius historia.
Clarus ab Eois qua sol jubar exserit undis,
   qua rubro emeritos gurgite condit equos,
Zona vaporifero qua subjacet ardua Cancro,
   qua micat in gelido Maenalis ursa polo,
hunc omnes novere hominem, nec laudibus ullis
   clara potest tanti crescere fama viri.
Finem igitur praestat longis imponere verbis,
   ne reus immensae garrulitatis agar.
Sed prius aeterno, qui colligat omnia nexu,
   orabo summum, supplice voce patrem,
ut det conjugibus concordem ducere vitam,
   vos placido dictis ore favete meis.

## ELEGIA XVI.

### EPITHALAMIUM IN LIBERAM GUARINAM ET SALOMONEM SACRATUM.

E2_16 Caelicolae magni, thalami quis foedera curae,
vos primum coeptis, quaeso, favete meis.
Te voco post Divos, Italae dux inclyte gentis,
quem virtus illis reddidit alma parem.
Tertius ad tantos accede, Guarine, favores,
post Superos merito proxime, postque duces.
Quem si consilio mortales ante putabam
vincere, nunc ipsis praefero jure Deis,
quod talem natae delegeris ipse maritum,
Quo te non poterat dignior esse gener.
Ipse est en Salomon, quem praesto hic stare videtis,
cui semper cordi est intemerata fides.
Vir locuples, facilis, justus, sectator honesti,
antiquo prudens nec Salomone minus.
Non cupiebat opes ; quas si illi fata dederunt,
fundit non parca munera multa manu.
Hunc autem genuit, talique superbit alumno,
sacrata haud falso nomine dicta domus ;
qua non hac tantum nulla excellentior urbe,
sed ferme tota floret in Ausonia.
Haec Majola fuit prius appellata propago,
cum coleret terras, Parma beata, tuas.
Jam bis centenos exegit Cynthius orbes,
ut liquit patrium seditione solum.
Pars inde anguigeram, pars hanc migravit in urbem,
ornavitque altis oppida bina viris.
Sunt huic tot clari, tanta de stirpe, nepotes,
sunt Priamus, fratres, Laomedonque simul.
E quibus ille reos, aegrotos iste tuetur.
Has illis artes magnus Apollo dedit.
Nec quod ter denos sponsus transegerit annos,
optio Guarini corripienda venit.
Haec est conveniens taedis genialibus aetas,
haec extrema fugit, temperiemque tenet.
Nec matura nimis siquidem, nec cruda videtur,
sed media aetates tangit utrimque duas.
Namque senectutem citra est, ultraque juventam,
corporis hinc pollet viribus, inde sapit.
Nunc sponsae ad dotes, animos convertite vestros ;
quae re, non casu, Libera nomen habet.
Sunt illi castusque pudor, moresque probati,
artificesque manus formaque digna Dea.
Si tamen haec deessent, pater exstat nempe Guarinus,
hoc uno posset laudis habere satis.
Quem nisi de summo, nobis misisset, Olympo,
Jupiter, in tenebris lingua Latina foret.
Sed, fateor, veniam tribuat precor ille fatenti,
haud statui laudes nunc memorare suas.
Seu quod, quo potui, prius illas carmine dixi,
seu quod diffido viribus ipse meis.
Nec me multa loqui patitur vis parva canendi,
nec fas de tanto dicere pauca viro.
Sat fuerit Divos miti rogitasse precatu,
ut tribuant istis omnia laeta toris.

## ELEGIA XVII.

### AD BORSIUM ESTENSEM, MARCHIONEM FERRARIAE, JOANNES DE GAIBANA, PER JANUM PANNONIUM.

E2_17

Marchio, magnorum decus immortale parentum,
   Marchio, Ferrariae portus et aura tuae ;
unde meum sumet primordia debita carmen,
   dum studeo laudes commemorare tuas ?
Justitiamne tuam coner prius edere, qua nec
   immunes pravos nec sinis esse bonos ?
Qua fraus supplicium, qua fert sua munera virtus,
   qua reddis cunctis praemia digna viris.
An potius referam, salvo quod jure sacratae
   justitiae, pergas non tamen esse ferox ?
Sed persaepe reo poenae de parte relaxes,
   et caedas virgis, qui cruce dignus erat ?
Quam doleas cum te cogunt scelera esse ferocem ?
   Parcere quam properes, laedere sero velis ?
Quanta tuumne canam decoret prudentia pectus ?
   Qua clarus canas factus es ante comas.

## ELEGIA XVIII.

### CONSULTATIO DEI PATRIS ET FILII DE PERDENDO HOMINUM GENERE ; QUOS TANDEM B. VIRGO EXORAT.

E2_18

Sederat Omnipotens, medio sublimis Olympo,
   subdideratque oculis condita cuncta suis.
Lustrabat tractusque maris terrasque patentes,
   quicquid et astriferi clauditur axe poli.
Paulatimque hominum defixit lumina rebus,
   ut studia humani cerneret ingenii,
ut vitam et mores, ut vota et gaudia nosset,
   quod quisque effugeret, quod sequeretur opus.
Conspicit implicitum tam multis fraudibus orbem,
   tot scelerum facies et mala tanta videt.
Insanas hominum curas, vota improba cernit,
   et nullo in terris esse in honore Deos.
Hic petit excidiis urbes, per tela, per ignes
   tendit, ut innumeras undique cogat opes.
Ille armis violat leges, hominesque Deosque
   subdat ut imperio regna aliena suo.
Ense petunt alii fratres carosque parentes,
   cumque suis alii bella nefanda gerunt.
Furta juvant multos, fenus saevaeque rapinae,
   fanaque direptis, exspoliata Deis.
Decipit hic dominum, fraudem parat ille parenti,
   emptori varios injicit ille dolos.
Pars amat ingentes sumptus luxumque superbum,

laetaque magnificas aedificare domos.
Pars Venerem sequitur caecique Cupidinis ignes,
pars sequitur rabidam, luxuriosa, gulam.
Hi spernunt Stygiosque lacus poenasque malorum,
quaeque manent animas praemia certa pias.
Contemnunt illi Superos, Superumque parentem,
nec pudor est ullos esse negare Deos.
His pater attonitus studiis, votisque virorum,
hoc, doluit vili posse licere luto.
Indoluit simul et magnas exarsit in iras,
aestuat ira gravi mixta dolore fremens.
Ut quondam pleno fluctus furit actus in alto,
aut ubi sulfureis mons sonat intus aquis.
Tandem ubi conceptus paulum deferbuit aestus,
concilium toto convocat inde polo.
Undique conveniunt Superi circaque residunt,
incipit a solio sic prior ipse suo :
"Ecquid Caelicolae vestros spectatis alumnos ?
Cernitis humanum quo ruat usque genus ?
Quem tandem inveniet nostra haec patientia finem ?
Aut haec ducemus quam toleranda diu ?
Quis jam virtuti locus est toto orbe relictus ?
Quis toto sceleri non patet orbe locus ?
Quid non dira fames auri, regnique cupido,
fas putat ? Imo sibi quid putat esse nefas ?
In Venerem ruit omne genus, gula conficit omnes,
vitaque pro rapida perditur ingluvie.
Jam mores, legesque omnes, jura omnia pulsa,
relligio, pietas, canaque pulsa fides.
Caedibus et bellis, et fuso sanguine flagrat
terra, nec est nati tutus ab ense parens.
Concurrit, ruptis inter se legibus, orbis,
in clademque ruunt omnia versa suam.
Mersa est flagitiis tellus, de culmine summo
pendet, et in praeceps corruit omne genus.
Nos neque jam norunt, nec caelo vivere credunt,
aut quemquam aetherei sceptra tenere poli.
Fulmina contemnunt, poenas et Tartara rident,
et quisquam in terris Numina nostra colat ?
Heu ! genus ingratum, nostra sub imagine cretum
paenitet, e facili compositumque luto.
Nonne mare et terras, quemque ipsi habitamus Olympum,
e nihilo nostrae constituere manus ?
Quisnam opibus terram, quis piscibus imbuit undas ?
Quis posuit nitido sidera clara polo ?
Edita sunt nostro (quis nescit ?) Numine cuncta,
sunt tamen ingratis edita cuncta viris.
Nos illis gravidam, numeroso munere, terram,
nos dedimus latum, qua patet usque, mare.
Spem quoque praebuimus regni post omnia nostri,
atque hujus socios jussimus esse poli.
Illi autem elati imperio, rebusque secundis,
vertere in cladem munera nostra suam.
Segnitie, mollique animos deperdere luxu
coepere, et miris degenerare modis.
Sed neque destitimus carum praestare parentem,
humanumque omni parte juvare genus.
Tradidimus sacras caeli de vertice leges,

sed sprevit leges impia turba meas.
Misimus et vates, vates sprevere sacratos,
misimus atroces nec timuere viros.
Denique conceptum divini Numine verbi,
in terras Natum mittere non piguit.
Imo ego descendi, pariter descendimus ambo,
sedimus et gremio, Diva pudica, tuo.
Vos mihi Caelicolae testes, quis me impia poenis
sustulerit, leto turba redempta meo.
Sed mea praetereo, pereunti debita mundo
fata ; quis e vobis non mala mille tulit ?
Quot ferro, quot aqua absumpti, quotque igne cremati ?
Corpora quot rabidis dilaniata feris ?
Ecquid, ut aetherea pellant nos sede, moramur,
et caelo admotis montibus arma ferant ?
Tollamus scelerum auctores causasque malorum,
deleat invisum, flamma inimica, genus.
Jam satis humani tulimus ludibria fastus,
sat vobis, Superi, sat tibi, Diva, datum.
Desine me genitrix lacrimosis flectere verbis,
desinite ingratas vos mihi ferre preces.
Consulite in medium et varias deponite mentes,
solvatur tantis terra polusque malis."
Talibus attoniti dictis, diversa fremebant,
obscuroque dabant murmura caeca sono.
Ut procul in silvis cum surgere ventus opacis
incipit, aut imis murmurat unda vadis.
Atque ibi dejecto mater maestissima vultu,
suppliciter tales fundit ab ore sonos :
"Nate, tuae (quid enim superest ?) spes unica matris,
quo solo videor nomine freta loqui.
Nate, quid indignas, mitissime, surgis in iras ?
Quae nova tam subiti causa furoris adest ?
Et quae tanta tuum laeserunt crimina Numen,
ut nullus veniae jam locus esse queat ?
Quid ? Tua non omnem superat clementia culpam ?
Anne animum minuit noxa aliena tuum ?
Ulcisci quos, Nate, paras ? Quos perdere tentas ?
Cum quibus, o Superum maxime, bella geris ?
Nonne hominum genus ecce tuum, tua pignora perdis ?
Duxerat e molli quos tua dextra luto.
Quid juvat invalido Martem exercere sub hoste ?
Quid juvat in praedam saevior esse tuam ?
Quae tibi cum vili bella ac certamina gente ?
Aut quae deletis laus tibi parta viris ?
Cui mare, cui terras, cui cetera tradis habenda ?
Quae rerum facies, Nate, quis usus erit ?
Frustra igitur magni moles erit edita mundi ?
Frustra erit ad motus irrequieta suos ?
Fulgebunt nitido nequicquam sidera caelo ?
Et peragent notas per sua signa vias ?
Cui feret innumeros tellus uberrima fructus ?
Servabit tantas cui gravis alvus opes ?
Cui pecudes alet illa suas, volucresque ferasque ?
Et vaga cui pisces nutriet unda suos ?
Sublatis tot, Nate, viris, tua dona perire,
et squalere tuum sic patieris opus ?
Ferre potes vacuum, caesis cultoribus, orbem ?

Haeredem tantis nec superesse bonis ?
Sed tibi sic placitum ; sint omnia condita frustra,
et pereat tanti, Nate, laboris opus ;
tune etiam poteris caelo delapsus ab alto,
nequicquam in nostro procubuisse sinu ?
Num poteris laceros variis cruciatibus artus,
nequicquam indignae, Nate, dedisse neci ?
Nequicquam tantos poterit tolerasse dolores,
obsequitur jussis, dum pia turba, tuis ?
Si te nulla movet tantorum causa laborum,
at moveat, debet quem tibi mundus, honor.
Quis tibi sacra feret ? Quis templa arasque dicabit ?
Quis sparget nomen, cuncta per ora, tuum ?
Nemo aderit qui vota ferat, qui Numen adoret,
quin nullum in terris jam tibi Numen erit.
Otia ages caelo, duces inglorius aevum,
et tua te facient munera nulla Deum.
Cui veniam dabis ? Admisso quem crimine plectes ?
Ostendes cui te, per tua jura, Deum ?
Jactabis vacuis nequicquam fulmina terris,
fulminibus nemo qui moveatur erit.
Non pater, exhausto, non rex, non arbiter, orbe,
quid multa ? Exhausto non eris orbe Deus.
Non faciunt simulacra Deos, non templa, nec arae,
imperium in cunctos arbitriumque facit.
Cui porro imperites ? Tua quem sententia damnet,
si tibi subjectum deleat ira genus ?
At vitiis intenti homines, jacet obruta virtus,
nec quisquam toto jam colit orbe Deum.
Labitur interdum, varioque errore tenetur,
infirmum, fateor, desipiensque genus.
Quid faciant vili membrorum carcere septi ?
Quid faciat vili massa subacta luto ?
Tu quoque, deposito, fateamur vera, timore,
das tantis causam, materiamque malis.
Imbelles homini sensus stimulosque dedisti,
duxisti e fragili mollia membra luto.
Quid referam tot opes, insani pabula luxus ?
Quid Veneris stimulos, ingluviemque gulae ?
Praeterea quantis obnoxia vita periclis !
Me miseram ! Quantis continuata malis !
Et mirum est si quid mortalia pectora peccant !
Quis valeat tantos exsuperare dolos ?
Sed tamen agnoscunt crimen, culpamque fatentur,
et facti veniam, supplice voce, petunt.
Nec sunt magna tamen mortalis crimina culpae,
si modo de miseris credere vera potes.
Quin virtus totum pietasque est magna per orbem,
totaque delubris terra referta tuis.
Adspice, quae plenis hinc atque hinc sedibus omnes
circumstant animas, quis nisi terra dedit ?
Sed sane sint magna hominum peccata, nec usquam
sit pietas, esto, sit tibi nullus honos ;
si tamen haud ullae possunt te flectere causae,
et certum est poenas sumere ab orbe gravem,
affice suppliciis sontes, et noxia tantum
corpora, at immeritum perdere parce genus.
Suppliciis sontes (nisi mavis parcere cunctis)

da, decet ; hoc omnes aequius esse putant."

---